DE DEORVM INVOCATIONIBVS

QVAS IN

COMPONENDIS CARMINIBVS POETAE ROMANI FREQVENTANT.

DISSERTATIO INAVGVRALIS

QVAM AD SVMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES AB AMPLISSIMO PHILOSOPHORVM MARPVRGENSIVM ORDINE RITE CAPESSENDOS

SCRIPSIT

FRIDERICVS KNICKENBERG.

MARPVRGI CATTORVM.
TYPIS FRIEDERICI TYPOGRAPHI ACADEMICI.
MDCCCLXXXIX.

V. ILL.

THEODORO BIRT

PRAECEPTORI CARISSIMO

HASCE STVDIORVM PRIMITIAS PIO GRATOQVE ANIMO

D. D. D.

Inter omnes constat poetas ab antiquissimis temporibus a suis numinibus, quae ante omnia fuerunt Musae, carmina sua auspicavisse. Quamquam autem usitatissimus hic mos invenitur Musaeque frequentissimis fere, quos in carminibus habemus, diis adnumerandae sunt, mirandum est neminem adhuc accuratius inquisivisse, quomodo poetae ipsorum animos ab illis inspirari cogitaverint, num alii dii deaeve nonnumquam Musarum munere fungantur, similia. Usque quaque exstant de religione et cultu quaestiones, de numeris Musarum, nomen unde originem ceperit, de Romanorum Camenis, de Musarum imaginibus alia, velut iam Gregorius Gyraldus syntagma de Musis conscripsit (opera ed. Jensius t. I. pag. 555), quo de patronymicis gentiliciisque illarum dearum nominibus imprimis disseruit, vel Heynius de Musarum religione eiusque originibus et causis (Comm. soc. reg. Gott. 1766 tom. VIII.); Petersenius de Musarum apud Graecos origine numero nominibus egit (in Muenteri Miscellaneis Hafniensibus 1818 tom. I p. 79 sqq.); Godofredus Hermannus de Musis fluvialibus Epicharmi et Eumeli (opusc. II pag. 288 sqq.); Gerhardus de earum sculpturis, quae exstant Berolini, scripsit (»Archaeolog. Zeitung« N. 7 anni 1843), quod idem Visconti in Musée Pié-Clem. I. 1818, Odofredus Muellerus in Archaeologiae p. 629 tractavit; Grauertus duas lectionum indices conscripsit, quae sunt de Camenis et de vatum nomine ad significandum poetarum munus antiquitus adhibito (Monasterii Guestf. 1848 et 1848/49); Deitersii in programmate gymnasii Bonnensis (1868) exstat inquisitio de Musarum cultu apud Graecos; Schillbachius dissertationem exhibuit, quam inscripsit »Thespiacorum libri tertii particula, quae est de Musis« (Berolini 1853);

ac novissimus Oscarius Bie de Musarum imaginibus egit (Diss. Berolinens. 1887). Quibus accedunt singula capita in Creuzeri symbolorum tom. III, in Welckeri »Götterlehre« tom. I. pag. 702, in Prelleri Mythologia, nonnulla alia in eiusmodi compendiis.

Nos vero non parvi interesse arbitramur de poetarum more agere et consuetudine deorum dearumve auxilium in faciendis carminibus invocandi. Nec vero hoc libello omnem antiquitatem complectemur, sed in Romanorum tantum usum animum advertemus, ac priorem quasi partem id quod conscripsimus quaestionum esse volumus, quibus et Graecorum et Romanorum scriptores aeque respicientur. Quod brevi Deus O. M. confici praebeat.

Id autem nobis propositum esse videtur, ut

priore parte quaeramus, qui dii deaeve invocentur quibusque ex aliis praeter Musas numinibus afflatum poeticum, ut dicere solemus, vates traxerint;

altera parte, quae est formalis, quibus carminum locis poetae numen invocaverint, inquiremus, quo loco versatos deos suos tutelares cogitaverint, quibus formulis in hoc more exsequendo usi sint; in fine denique speculum praebebimus, e quo frequentia invocationum in uno quoque poeta eluceat.

Pars prior.

Qui dii deaeve invocentur.

I.

Inquirentibus primum nobis, ut erat propositum, quaenam »vatum numina«, ut ait Ovidius invocentur, non alienum esse videtur, primum inde ab antiquissimis poeseos Romanae temporibus incipientes, priusquam Graecis litteris poetae imbuti erant, inquirere, quomodo sua numina Romanorum vates compellaverint, ut ipsos in »vaticiniis« componendis adiuvent. Neque enim, ut nonnumquam legitur, omnes litterae, poesis imprimis, peregrino ex populo Romanis advectae ab ipsorum ingenio omnino alienae sunt, nec propria ad significandas eius modi artes vocabula desunt; sed prisca iam aetate Romani suum habebant Musarum cultum, et vates, qui sunt poetae, vi quadam divina et »quasi vesania in scribendo commovebantur[1])«. Sed admodum paucos inveni locos, quibus eorum numinum, quae soli Romanae genti innata ac propria erant, auxilium a poetis invocetur, nec quidquam novi quaestionibus illis adici posse puto, quae apud Bernhardy L. Rom. pag. 191 et in Grauerti doctissimis sane dissertationibus reperiuntur (Ind. lect. Monast. 1848 et 1849). Nam poetae ultimi liberae reipublicae Romanae saeculi, quorum fere sola opera fatum nostris temporibus tradidit, suos deos cum Graecorum ita conferre amabant, ut, si aliquid commune in utriusque populi mythis reperiebatur, Graecum deum et Romanum in unum confunderent nec genuinum suum habitum et formam conservarent; id quod singularem difficultatem viris doctis praebuit (cf. Roscheri lexicon

---

1) Isidorus Orig. VIII 7. 3, Varronis locum interpretatus.

mythologiae, plurimis locis e. g. sub voce »Diana«, »Faunus«; nec non s. v. »Camenae«).

Vetustissimum locum habeo incerti versum in Baehrensii Fragmentis poetarum Romanorum p. 52:

Veterem, Casmenae, cascam rem volo profari
Et Priamum [1]).

Sequitur illustrissimus locus ex Livii Andronici Odusia (Baehrensii Frgm. P. R. p. 37):

Virum mihi, Camena, insece vorsutum,

qui Homeri versum: *Ἄνδρα μοι ἔννεπε, Μοῦσα* rell. reddit. At Horatius eundem versum sic latine vertit (Art. poet. v. 141):

Dic mihi, Musa, virum captae post tempora Troiae
Qui mores hominum multorum vidit et urbes.

Qui loci quid nos docent? Quamvis materia carminum ex Graecis Romam iam translata esset, forma certe et locutio genuina et primitiva erat; nam Camenae sunt numina Romanorum propria neque his locis, ut postea saepius, pro Musis posita, sed Livius Andronicus Graecorum Musas in suam formam Romanam reddidit, quod sequitur etiam ex frgm. 25:

Nam diva Monetas filia docuit

(i. e Monetae filia) Homeri versum respiciens Od. VIII 480:

. . . . . . *οὕνεκ᾽ ἄρα σφέας*
Οἴμας Μοῦσ᾽ ἐδίδαξε e. q. s.

Est igitur Camena filia Monetae, ut apud Graecos Musae filiae *Μνημοσύνης* (Solon. eleg. frgm. 4). Item pro *Ζεὺς* Iovem, pro *Ἀθήνη* Minervam similia; nec Graeca nomina deorum recipiebantur, nisi deerat apud Romanos illis quod responderet, ut Apollinis. Sed in Monetam ut inquiram, num eam sibi finxerit Livius, quae *Μνημοσύνη* responderet, fieri non poterit, cum similis locus non existat. Memorabilis quidem Iuvenalis versus est (sat. VII 55), quo monetam in re poetica nominat. Quid bonum poetam faciat canens inter alia dicit:

. . nec qui
Communi feriat carmen triviale moneta.

An de Moneta dea cogitavit, cum carminis habitum cum monetae compararet?

---

1) Animadvertas allitterationem, quae vocatur: Casmenae-cascam, profari-Priamum, quae versum non nullius momenti esse certe efficit.

Quae cum ita sint, antiquissimis temporibus Camenas Musis aequales fuisse apparet, ac posteriore demum aetate ad Camenas Musarum munera delata esse; nec non Camenarum cultum antiquitus Romae floruisse Grauertus l. c. luculenter, ut opinor, probavit.

Sed invenimus etiam aetate Augustea nonnullos apud poetas locos, quibus dii Romanae genti innati ac proprii invocantur; at valde differunt hi loci ab illis, cum tantum ornamenti causa a poetis illa prisca numina vocari constet. Ovidius Fast. I 465. sqq. Carmentalia describens Carmentam deam invocat, ut his in versibus propitia sit ac poetam adiuvet:

Ipsa mone, quae nomen habes a carmine ductum,
Propositoque fave, ne tuus erret honos.

Quae dea, quamquam nomen ad verbum »carmen« accommodatum esse videtur, non est numen furoris poetici, sed dea, quae a mulieribus potissimum colebatur. — Non aliter idem auctor Fast. V 183 in Floralibus describendis Floram deam adloquitur, ut afflatu divino ipsius animum moveat, unde ludi Florales initium ceperint; itemque Janum Fast. I 93, quibus diis simile quidquam apud Graecos non respondebat. In Fastis autem Ovidius singularem inter poetas Romanos locum obtinet, nam quemlibet deum, cuius forte historiam vel festum canit, precatione adit, ut sibi in componendo carmine faveat et benigne adnuat, qua de re infra saepius et copiosius loquendum erit. — Eandem fere rem apud Vergilium habes, qui Palem, priscam illam hortorum deam, auxilium rogat, Ge. III. init.; ibid. 294. In Culice autem Pales una cum Musis advocatur, v. 20:

Quare Pierii laticis decus, ite, sorores
Naiades, et celebrate deum plaudente chorea
Et tu, sancta Pales, ...
Te cultrice vagus saltus feror inter et astra.

Notissima denique res est Camenarum nomen posterioribus aetatibus saepe pro Musarum poni, atque etiam Camenas invocari, ubi Musas intellegit poeta. Ita Horatius c. III 4. 21 Calliope Musa invocata dicit:

Vester, Camenae, vester in arduos
Tollor Sabinos e. q. s.

Neque ullius momenti esse potest, quod Ovidius Fast. IV 245 Camenas »Aonias« nominat, cum intellegat Musas. Item Cornelius Severus (Baehrensii Frg. P. R. p. 355 sq.) frgm. 15 Musas dicit »Aonidas«.

Hoc loco id adiciendum est a nullo poetarum Romanorum Fauni opem compellari, quamquam certum esse videtur illi facultatem adscriptam esse vates divino instinctu inspirandi, ut ait Ennius in prooemio ad Annalium VII (Frg. P. R. p. 155):

. . . . scripsere alii rem
Vorsubus, quos olim Fauni vatesque canebant;

ac Fronto de eloq. p. 8 dicit: »Faunos, vaticinantium incitatores«. Cf. Lucretii IV 582: Faunos chordarum sonus dulcesque querelas canere; Festum s. v. Saturnia; Marii Victorini Art. gram. III 18. Invocationem autem nusquam, ut dictum est, inveni.

II.

Iam illis temporibus, cum mens propria Romanorum integerrima esset, visque innata maxime vigeret, Graecorum artes liberales immigrare in Italiam coeperunt ac Musae, adiutrices universarum litterarum Graecarum, loco Fauni Camenarumque numina artium liberalium Romanarum, quae celeriter efflorescebant, factae sunt. Auctorem huius mutationis, quantum ad nostram quidem quaestionem de Musis attinet, Naevium poetam Varro nominat (Frg. P. R. p. 296 frgm. 3 apud Gell. I 24, 2):

Immortales mortales, si foret fas flere,
Flerent divae Camenae Naevium poetam;
Itaque postquam est Orchi traditus thesauro
Obliti sunt Romae loquier lingua Latina [1]).

Ex hoc igitur tempore Fauni Camenaeque in sempiternum Musis Heliconis cedere debebant. Nam quamvis Saturnii versus, qui

---

1) Prave Baehrensius codicum lectiones mutavit in »Orcho traditus thesaurus«. cf. Hertzii edit. Gell. — Allitteratio huius quoque fragmenti memorabilis est.

vocatur, forma, Romanis primitiva, retineatur, re ipsa Naevii versu:

Novem Iovis concordes filiae sorores

media in mythologia Graeca consistimus, atque hinc incipit infinita paene series Musarum invocationum, quibus inde ab hoc tempore poetae Romani utuntur. Cum vero Ennius, Graecorum apud Romanos propugnator, una cum Graecis vivendi sentiendique formis repudiata antiqua locutione Latina hexametri formam Romam arcessisset, Latinae litterae paene interierunt, si hoc verbo uti mihi licet, atque Homerum praelegi arbitraris, cum Ennii frgm. 1 audis (Baehrensii Frg. P. R. p. 58):

Musae, quae pedibus magnum pulsatis Olympum.

Priusquam autem ad ipsam rem accedamus, non alienum alicui videatur, de quaestionibus illis disserere, quae de origine et numero Musarum agunt, num etiam apud Graecos initio N y m p h a e fuerint Musae, an haec opinio ex Romanorum demum religione in Graecorum mythologiam refluxerit, alia, quantum ex nostris de invocatis diis inquisitionibus elici possunt. Sed accuratiores de hac re delicata quaestiones, de qua ad hanc diem magnae lites inter viros doctos existunt, a proposito abhorrent; si, quod in animo habeo, fato perficere concedetur, posteriore tempore, cum etiam de Graecorum poetarum usu deorum auxilium implorandi disseram, subtilius in hanc rem inquiram; hoc loco sufficiat brevissime dicere, quod mihi de Romanis quidem videtur, num necessitudinem quandam inter Musas eorum et Nymphas intercessisse ex invocationibus concludi possit [1]).

Homeri initio Odysseae ***Μοῦσα*** et Iliadis *θεά* proprium est eius *δαιμόνιον*, est genius poetae ac eius ipsius Musa, non generale numen, »meine Göttin« ut ait Schillerus noster. Est deus, de quo Ovidius Fast. VI 5:

Est deus in nobis, agitante calescimus illo;

et item Art. am. III 549:

---

1) cf. G. Hermann, de Musis fluvialibus Epicharmi et Eumeli (Opusc. II p. 288) — Creuzer Symb. III. — Serv. ad Ecl. VII 21. — Plut. Symp. IX 14.

Est deus in nobis et sunt commercia caeli;
Sedibus aetheriis spiritus ille venit!

Haec Musa in uno quoque viro cogitari potest[1]); itaque loquitur Plato de Euthyphronis (Cratyl. pag. 409 D) et Aristophanes de Euripidis Musa, i. e. cogitandi elaborandique virtute (Ran. 1306). — Prisca autem certe aetate in corporalem formam Musa redacta unius certaeque deae partem nacta est, iisdemque ex temporibus sine dubio pro una tres vel quinque vel septem vel novem pro una quaque parte artis musicae Musas invenimus. Quis porro dubitat, quin Musarum cultus cum Nympharum, quibus aequa erat facultas inspirandi poetae ingenii, mixtus sit, ita ut optimo iure dici queat: »Musas primitus atque e natura sua et quasi origine Nymphas fuisse[2])?« Cuius religionis reliquiae non paucae posterioribus iam temporibus exstabant, praesertim cum cultus Musarum iis potissimum locis haberetur, quibus fontes amoeni vel silvae exstiterunt opacae, ubi Nymphae versari putabantur[3]). Sunt autem Musae Nymphae; ita tamen, ut non omnes Nymphae Musae essent[4]), aut earum munere omnino fungerentur; quoniam autem in silva opaca, in venusta valle, apud fontem serenum animus hominum et mens quasi divino afflatu permovetur, Nymphis, eorum locorum numinibus, vis quaedam maior tribuebatur, qua animos hominum incitarent, atque hinc est ortum, quod Nymphae intime cum Musis coniunctae saepius pro iis a poetis invocantur.

Afferam statim locos, quibus quae modo dixi probantur. Imprimis autem in poesi bucolica hoc Musarum munere Nymphae

---

1) cf. Cic. div. I. 37; Tusc. I. 33.

2) v. Grauerti de Camenis pag. 15; cf. Deitersii »ueber die Verehrung der Musen bei den Griechen« Progr. gymn. Bonnens. 1868. Welckeri Griech. Götterlehre t I pag. 703. Azan, quam vocem in Roscheri lexico videas, est filius Nymphae Eratus. cf. Lucil. frgm. 699 (Baehr. P. R. Frg.)

3) C. F. Hermanni Gottesdienstl. Altertümer p. 68: »Ihr Cultus haftet da, wo sie ihren ursprünglichen Character als Quellnymphen bewahrten«. cf. Plat. Phaedr. 278 B: *εἰς τὸ Νυμφῶν νᾶμά τε καὶ Μουσεῖον.* Theocr. VII. 148: *Νύμφαι Κασταλίδες, Παρνάσιον αἶπος ἔχοισαι.*

4) Creuzerus, Symb. III p. 288. Perperam igitur Cicero (de Natura Deorum) Maium, quoniam Nympha sit, etiam Musam esse iudicat.

funguntur, ut Thalia est apud Vergilium dea rustica atque silvana ecl. VI 2:

Prima Syracosio dignata est ludere versu
Nostra neque erubuit silvas habitare Thalia.

Calpurnius autem omnes Musas silvam colentes finxit (ecl. VI 60):

Protinus ecce torum fecere sub ilice Musae.

Invocat autem hasce Musas rusticas Damoetas pastor apud Vergilium (ecl. III 84):

Polio amat nostram, quamvis est rustica, Musam;
Pierides, vitulam lectori pascite vestro.

At illustrissimus certe locus est Vergilianus, qui exstat in eclogae VII v. 21, quo carmen suum pastor sic incipit:

Nymphae, noster amor, Libethrides, aut mihi carmen
Quale meo Codro concedite e. q. s.

Cognomine »Libethrides« etiam saepius Musae ornantur, ita ut manifestum sit hoc loco Musas expressis verbis Nymphas nominatas esse. Servius ad hunc versum adnotat: »Libethros fons est, ubi coluntur Musae; . . . . ut autem poetae invocent Nymphas, haec ratio est, quod secundum Varronem ipsae sunt Nymphae quae et Musae, ... nec immerito; nam aquae motus musicam efficit, ut in hydraulia videmus[1]).«

Idem Vergilius Arethusam fontem, id est eius fontis Nympham, initio carminis nominat, ut sibi praesto sit (ecl. X 1):

Extremum hunc, Arethusa, mihi concede laborem!

Ex quo sequitur non solum pastores poetarum, sed etiam poetas ipsos a Nymphis carmina auspicatos esse[2]).

Singularem locum etiam hac in quaestione Ovidii Fasti habent; velut III v. 261, ubi poeta, cum in eo sit, ut Saliorum

---

1) Nymphae etiam Theocriti pastorem docuerunt c. VII 92:
Νύμφαι κἠμὲ δίδαξαν ἀν' ὤρεα βουκολέοντα,
quem ad locum adnotat scholiasta: *Νύμφαι ἐν εἰρωνείᾳ ὡς πρὸς αἰπόλον· ἐχρῆν γὰρ εἰπεῖν „αἱ Μοῦσαι“. εἰ μή τις παρέργως τὰς Νύμφας ἀκούει Μούσας.* vid. Deitersii l. l. pag. 13.

2) videas porro Callimachi hymnum in Apollinem Delium v. 109:
Νύμφαι Θεσσαλίδες, ποταμοῦ γένος, εἴπατε πατρὶ
Κοσμῆσαι μέγα χεῦμα e. q. s.
ibid. v. 256: . . . *Νύμφαι Δηλιάδες*
Εἶπαν Ἐλειθυίης ἱερὸν μέλος.

festa per Egeriam Numae regi dicta canat[1]), hanc mulierem fatidicam Nympham vocat:

Nympha, mone, nemori stagnoque operata Dianae,
Nympha, Numae coniux, ad tua facta veni!

Primum enim Egeria omnino secernenda est a Musis vel Camenis[2]), quamvis nonnumquam in fabulis coniuncta cum Camenis appareat; deinde hoc carmine eodem modo appellatur ac permultis aliis locis eiusdem carminis alii dii deaeque, quorum facta canuntur.

Cum autem Nymphae Musarum personas gerant, quid miri habet etiam Naiadas et Dryadas hoc munere nonnumquam fungi, nempe apud poetas bucolicos? Sunt loci Culicis v. 18:

Quare Pierii laticis decus ite sorores
Naiades, et celebrate deum plaudente chorea.

et Nemesiani ecl. II. 20:

Quae colitis silvas, Dryades, quaeque antra Napaeae,
Et quae marmoreo pede, Naiades, uda secatis
Litora purpureosque alitis per gramina flores:
Dicite e. q. s.

Iniuria ergo Deitersius l. c. Musas a Nymphis seiungit. Romanorum numina genuina, quae prisca aetate Musarum loco ab iis colebantur, e Nympharum numero fuisse satis mihi constare videtur. Nec quidquam miri habet epigramma, quod legimus apud Baehr. Frg. P. R. pag. 403 ex Augustini de musica 3, 2:

Ite, igitur, Camenae,
F o n t i c u l a e puellae e. q. s.

Graecorum autem morum vitaeque consuetudinis vis iam ex initio maior erat, quam ut multae eius religionis reliquiae nobis conservarentur, id quod supra dictum est[3]).

---

1) cf. Ov. Metam. X 482 sqq.

2) v. Grauerti l. l. pag. 13.

3) videas Schillbachii: »Thespiacorum libri tertii particula, quae est de Musis«. Diss. Berol. 1853 pag. 10.

Sed haec quidem hactenus. Ad ipsam nostram rem accedamus. Meum cum sit primum in eos locos inquirere, quibus poetae Romani in Musarum auxilium se dederint, longum esse puto omnes deinceps locos, qui apud unum quemque poetam inveniuntur, verbo tenus enumerare, praesertim cum universorum locorum catalogus in fine dissertationis adiectus sit.

Ac primum quidem »Musa« invocatur inde ab Ennii iam temporibus; frgm. 224 (Baehr. F. P. R) apud Gell. 18, 9, 2:

Insece, Musa, manu Romanorum induperator,
Quod quisque in bello gessit cum rege Philippo.

Optimi poeseos Romanorum temporis sequuntur loci notissimi, ut Vergilii Aen. I 8:

Musa, mihi causas memora e. q. s.,

vel Horatii Sat. I 5, 53:

Musa, velim memores e. q. s.

Rarius, ut videtur, Ovidius pro plurimis suis invocationibus solam Musam praesidem carminum appellat; nomino Fast. II 359:

Adde peregrinis causas, mea Musa, Latinas.

Ex Propertio adfero IV 6, 11:

Musa, Palatini referemus Apollinis aedem[1]).

Locorum insequenti attribuendorum aetati laudo Senecae Epigr. 39 (Baehr. P. Lat. min. IV pag. 72):

Ludere, Musa, iuvat,

vel Valerii Flacci Arg. VI 515:

Dic age, tuque feri reminiscere, Musa, furoris.

Infimae denique latinitatis est Orestis tragoediae, quae dicitur, v. 350 (Baehr. P. L. M. V pag. 219):

Dic mihi, Musa, precor, qua re materna noverca
Quaerere neglexit e. q. s.

Aeque ac singularis numerus pluralis — »Musae« — per totam latinitatem dispersus invenitur, ita ut iam ex primis mythologiae Romanae initiis, quantum hodie iudicare nobis licet, et Musam habeamus et Musas, aeque atque Camenam et

---

1) Propertium ex codicum auctoritate cito: Monobiblos (vulgo l. I), l. II, III, IV. Ceterum de Propertio videas partis II caput 1, de initio carminum minorum.

Camenas. Iam Naevius certe neminem nisi Musas respiciebat, cum scriberet (Bell. Poen. frg. 1, Baehr. F. P. R. pag. 43):

Novem Iovis concordes filiae sorores,

atque etiam Ennii versum iam supra laudavi (frg. 1, Baehr. F. P. R. pag. 58):

Musae, quae pedibus magnum pulsatis Olympum.

Ut etiam posteriorum temporum exempla afferam, Ovidius Met. XV 622 habet:

Pandite nunc, Musae, praesentia numina vatum

e. q. s. Vergilius autem de arte mel ex apibus praeparandi Ge. IV 315:

Quis deus hanc, Musae, quis nobis extudit artem?
Unde nova ingressus hominum experientia cepit?

Horatius numquam Musas advocat, sed Musam vel unam ex Musis certo nomine citatam. Idemque semper unam Musam nominat, cum de munere eius carmina vatibus tribuendi omissa invocationis forma loquitur, velut Art. poet. 83:

Musa dedit fidibus rell.

ibid. 324:

. . . . Grais dedit ore rotundo
Musa loqui,

alia[1]). Catullus contra non nisi plurali numero utitur ac plures tantum Musas nominat, neque umquam unam solam. Recte igitur Riesius ad versum c. I. 9 poetam hoc loco Musam adire non potuisse adnotat. Neque ullus poetarum Romanorum Musam »patronam« dicit ac »patrona virgo« concinnitate cum »doctis virginibus«, quo adiectivo nonnumquam Musae ornantur, caret[2]). Una Sulpicia poetria se ipsam clientem Musae nominat (Sat. 11). At quin spurium sit carmen, ex novissimis dissertationibus dubitari non potest. Vid. Buecheleri praefationem ad Jahnii editionem Persii Iuvenalis Sulpiciae pag XIV. Ni fallor, intellexit Catullus Minervam, siquidem non est spurius versus (cf. collegium »scribarum« ad aedem Minervae, de quo M. Hertz, in »Verh. d. Phil.-Vers. zu Hannover« 1864).

---

1) cf. Prop. c. III 3, 37 sq.

2) at vid. Suessii Catulliana in act. sem. philol. Erlangens. t. I. pag. 6. — cf. Ov. Trist. II. 13.

Atque etiam insequentibus temporibus rarae sunt invocationes »Musarum« (num. plur.). Nescio, qua de causa; loco Musarum habemus »Pierides«, »deae« alia, plerumque autem unam ex novem (Calliopen, Clio), quae ut vatibus carmina suppeditet, invocatur.

Musae sunt vatum »deae« κατ' ἐξοχήν. Ita Catullus c. 68 B.:

Non possum reticere, deae, e. q. s.

Valerius Flaccus Argon. V, 217:

Incipe nunc cantus alios, dea, rell.

Vergilius duobus locis aequalibus »deas« adit Aen. VII 641 et X 163:

Pandite nunc Helicona, deae, cantusque movete,

Homeri morem imitatus, qui quattuor locis Iliadis hunc exhibet versum:

Ἔσπετε νῦν μοι, Μοῦσαι, Ὀλύμπια δώματ' ἔχουσαι rell.

Il. II 491, XI 218, XIV 508, XVI 112.

»Divam« pro »deam« habes in Statii Achill. I 3: »Diva, refer« sc. magnanimum Aeaciden.

Falluntur autem, qui omnibus locis, quibus dea vel diva occurrat, poetam Musam intellexisse contendant. Nam cum, ut infra demonstrabitur, etiam unus quisque deus ut praeses carminis et adiutor compelletur, etiam quilibet alius deus vel dea hoc vocabulo invocari potest. Talem habes Ovidii locum Fast. IV 191, quo Cybelen deam nominat:

»Da, dea, quem sciter.« Doctos Cybeleia neptes
Vidit e. q. s.

Dea ipsa autem Musis, ut poetae cantum afferant, mandatum dat. — Vergilius Aen. VII 37 Erato Musae dicit:

Tu vatem, tu, diva, mone!

A Venere incertus Ponticorum illorum praefationis auctor, quam Baehrensius Nemesiano vindicat, v. 16 incipit (Baehr. P. L. M. III pag. 172):

Quare, diva, precor . . . .
Pierias age pande vias!

Atque in fine demum fragmenti, si Buechelerus recte coniectavit, ipsam Musam appellat poeta v. 22:

Vos quoque, quae resono colitis cava Tempea coetu

e. q. s. Codices autem habent »qui« pro »quae«[1]).

In omni autem poesi, quam ex tota Graecorum et Romanorum antiquitate habemus, saepe ut notum est, pro Musarum nomine gentilia nomina et patronymica, quae vocantur, ponuntur. Poetae Romani vero, ubi talibus nominibus Musas, ut sibi faveant, vocant, ex magno numero illorum paucis tantum utuntur. Sunt ea »Pierides, Heliconiadae, Pimpleades, Pegasides», e quibus re vera una tantem vox, Pieridum, saepius adhibetur; reliquas per totas litteras admodum sparsim invenimus ac rarius. Cuius rei causa in ipsis verborum formis posita est. — Ab Heliconiadis autem carmina petunt et Ovidius Fast. IV 193:

Pandite, mandati memores, Heliconis alumnae

e. q. s. et auctor Anthologiae Latinae nr. 222 (Baehr. P. L. M. IV pag. 259):

Vos, Heliconiadae, lentum submittite carmen,
Carmine somnus adest, carmine somnus abest!

Pegasides vocant Vergilius catal. XI 1:

Pauca mihi, niveo sed non incognita Phoebo,
Pauca mihi, doctae, dicite, Pegasides!

et Propertius III 1, 19:

Mollia, Pegasides, vestro date serta poetae!

Pimpleam Musam, Catulli adiectivum a *Πίμπλεια* monte petitum (c. 105, 1) imitatus, Horatius c. I 26, 7 sqq. nominat:

. . . . O quae fontibus integris
Gaudes, apricos necte flores,
Necte meo Lamiae coronam,
Pimplea dulcis!

Primum autem locum Pierides obtinent, quam vocem poetae

---

1) Contrarie e. gr. apud Musaeum I init. Musam opinatur poeta:

Εἰπέ, θεά, κρυφίων ἐπιμάρτυρα λύχνον ἐρώτων,

neque Venerem, ut a doctis viris iudicatum est; nam v. 6 genitivo usus de Venere poeta loquitur, cum, si primo versu hanc deam putasset, vocativo uti deberet:

Λύχνον ἀπαγγέλλοντα διακτορίην Ἀφροδίτης.

Quamquam non adeo inepte fecisset, si Venerem invocasset.

Romani ante alias adamasse videntur. Ex magna copia locorum nomino Manilii locum III init:

In nova surgentem maioraque viribus ausum
Nec per inaccessos metuentem vadere saltus
Ducite, Pierides; e. q. s.

Vergilius non nisi in bucolicis carminibus Pieridas invocat, ut se adiuvent; nam in Aeneide et Georgicis vel alium deum vel omnino Musam adit. In eclogis exstant quattuor loci, e quibus laudabo c. VIII v. 62:

Haec Damon; vos, quae responderit Alphesiboeus,
Dicite, Pierides; non omnia possumus omnes!

Reliqui loci sunt III 84; IV 13; X 72. — Ovidius rarius hac voce usus esse videtur; nam exstant duo tantum loci, atque ii in Fastis, II 269:

Dicite, Pierides, sacrorum quae sit origo,

et VI 798:

Pierides, coeptis addite summa meis;
Dicite, Pierides, quis vos adiunxerit isti e. q. s.

Ovidius certam personam mavult, quae sibi carmen submittat, ut e. g. loci modo citati versu insequenti Clio e Pieridibus una ei carmen mandat, v. 804: »sic ego; sic Clio« rell.

Numerum singularem »Musam Pieridem« Horatius uno loco adhibet, Melpomenen intellegens c. IV 3:

O testudinis aureae
Dulcem quae strepitum, Pieri, temperas!

Ovid. Fast. IV 222 Pieris Erato Musa est. Ex Propertio nomino II 10,11:

Surge, anima, ex humili iam carmine; sumite vires,
Pierides, magni nunc erit oris opus[1])!

Alios locos habes apud Tibullum (III 1, 5; IV 2, 21), Iuvenalem (IV 34) alios.

Singularem locum obtinent Musae Sicelides Vergilii, ecl. IV 1:

Sicelides Musae, paulo maiora canamus[2]).

---

1) Prave legitur apud Baehrensium: Surge, anima, ex humili; iam, carmina, sumite vires e. q. s.

2) cf. Aristophanis Musam Ἀχαρνικήν: Ach. 665.

Sunt eae Musae certe Nymphae fontium, quae primae pastores Siciliae cantus bucolicos docebant (cf. ecl. X 1), ut prisca aetate sine dubio etiam Pierides, Castalides, aliae. — Non proprie pro nomine gentili Musae »Latinae« vocatae sunt in incerti auctoris (forte Octaviani ex auctoritate optimorum codicum) carmine de Vergilio v. 7, quod invenis in Riesii Anthologia Lat. I, 2 nr. 672 pag. 132:

Musae, prohibete, Latinae!

Sed intelleguntur sine dubio Musae, ita ut genii litterarum Latinarum sint; ceterum inepte quispiam aut hoc loco aut aliis eiusmodi velut Propertii IV 4, 51 decimam Musam quaereret [1]). Notum enim est Musam pro poesi dici posse, qua ex re necessario sequitur pro poesi Latina Musam Latinam dici eamque 'personae rem gerere posse.

Easdem fere animadversiones de invocationibus Musarum, quas in usu nominum gentilium et patronymicorum fecimus, licet adnotare in compellationibus singularum ex novem Musarum. Nam illarum, quas Hesiodus theog. 77 nominat:

Κλειώ τ' Εὐτέρπη τε Θάλειά τε Μελπομένη τε
Τερψιχόρη τ' Ἐρατώ τε Πολύμνιά τ' Οὐρανίη τε
Καλλιόπη θ', ἣ δὲ προφερεστάτη ἐστὶν ἁπασέων,

quattuor tantum nominibus utuntur poetae Latini, e quibus furorem poeticum petunt: Clio, Calliopen, Erato, Melpomenen. Accedit, quod iam antiquissimis temporibus munera, quibus singulae earum funguntur, fluctuant, neque apud nostros poetas certus usus de muneribus Musarum exstat [2]). Qua de causa, cum invocant Romani Musam, nec satis respiciunt munera, quae singulis earum tribuuntur, neque omnes idem munus in eandem Musam deferunt, nec raro metri vis ita praevalere videtur, ut libera voluntate unam eligant, quam ut carmini faveat appellant; id quod ante omnes Horatius facere amat, cuius in carminibus plures Musae uno eodemque munere funguntur: c. III 4, 1 Calliope eadem fere ei praebet,

1) Statius (Silv. I 2, 9) Elegiam decimam esse Musam se cupere dicit. — vid. Hertzbergium ad Prop. l. c.

2) Aetate Alexandrina, quae vocatur, quomodo haec res se habuerit, nquisivit Oscar Bie »de Musarum imaginibus« Berol. 1887, pag. 24.

quae c. I 12 Clio. Cf. c. I 1, 32; I 24 [1]). Attamen non negandum est omnino etiam apud Romanos certum quendam usum exstitisse, de quo posteriorum temporum duo leguntur carmina in Riesii Anthologia nr. 88 et nr. 664, quorum prius affero:

Clio saecla retro memorat sermone soluto.
Euterpae geminis loquitur cava tibia ventis.
Voce Thalia cluens soccis dea comica gaudet.
Melpomene reboans tragicis fervescit iambis.
Aurea Terpsichorae totam lyra personat aethram.
Fila premens digitis Erato modulamina fingit.
Flectitur in faciles variosque Polymnia motus.
Uranie numeris scrutatur sidera mundi.
Calliope doctis dat laurea serta poetis [2]).

Quo e numero poetae Latini tres tantum frequentius invocant, Clio, Erato, Calliopen, quibus quarta accedit Horatii Melpomene.

Clio est Musa historiae; velut scholiasta ad Apoll. Rh. III init.: *Κλείω λέγεται εὑρηκέναι τὴν ἱστορίαν* [3]). Attamen in maioribus carminibus epicis raro invocatur; ut mihi quidem ex his, quos affero, locis videtur, non tam est dea universae historiae, quam singularum rerum gestarum, quibus illa constat. Ita Valerius Flaccus tota historia expeditionis Argonautarum ut ab Apolline in ipsum effluat, orat; nam initio libri I dicit: »Phoebe, mone«. Pergens autem, cum singula facta narrat, Clio invocat III 15:

Tu mihi nunc causas infandaque proelia, Clio,
Pande virum; tibi enim superum data, virgo, facultas
Nosse animos rerumque vias; cur talia passus
Arma, quid hospitiis iunctas concurrere dextras
Iuppiter? Unde tubae nocturnaque movit Erinnys

e. q. s. Incipiunt deinceps pugnae apud Scythas vellere aureo

1) De insignibus Musarum, quae hoc tempore habere solent, egit Bie l. c. pag. 25. Addendum est Anth. Pal. IX 504, quo loco barbitum Melpomene gerit, qui apud Horatium Polyhymniae tributus est.

2) Mart. Capellae Musas, quibus Nuptiarum Phil. et Merc. § 27 et 117 caelestia munera et ad orbem stellarum pertinentia tribuit, cum nihil ad nostras quaestiones attineant, omitto.

3) In Anth. Pal. autem Clio citharam docet IX 504.

per Argonautas recepto. Sequuntur bella domestica libro V, quae poeta his verbis a Clio, ut certum esse videtur, inaugurat V 217:

Incipe nunc cantus alios, dea, visaque vobis
Thessalici da bella ducis e. q. s.

Atque in fine operis VI 515:

Quis tales obitus dederit, quis talia facta,
Dic age tuque feri reminiscere, Musa, furoris.

Hanc personam historicam Clio admodum raro in aliis Latinorum carminibus epicis gerit; recusant eam poetae. Habemus ex melioribus temporibus Statii tantum locum, qui est Theb I. 14:

Quem prius heroum, Clio, dabis?

Ex infimae Latinitatis tempore Phocas in vita Vergilii (Baehr. P. L. M. V) Clius auxilium invocat:

O vetustatis veneranda custos
Regios actus simul ac fugaces
Temporum cursus docilis referre,
Aurea Clio,
Tu mihi e. q. s.

In hymno autem Horatii (c. I 12) est locus notissimus, qui supra citatus est[1]); Pindarum imitatus (Ol. II 1; III 13) poeta canit:

Quem virum aut heroa lyra vel acri
Tibia sumis celebrare, Clio?

Juvenalis hoc munus historicum tribuit Calliopae IV 34:

Incipe, Calliope, licet et considere, non est
Cantandum, res vera agitur.

Pro epica Musa autem idem Clio inducit Sat. VII init.

Sine certa causa, ut iam saepe monitum est, Ovidio in Fastis invocata Clio historiam festi »Herculis Musarum« narrat neque ullius momenti est; invocat enim poeta omnes Musas, e quibus una respondet (Fast. VI 798):

Dicite, Pierides, quis vos adiunxerit isti

e. q. s. (intellegit enim coniunctionem Herculis cum Musis), ac tum pergit: »Sic ego; sic Clio«. Etiam auctor Sulpiciae quae fertur saturae hunc morem gerit. Musa enim initio car-

---

1) cf. Kiesslingii editionem Horatianam ad hunc locum; Kock in Hermae 1882.

minis compellata, ut »precibus descendat clientis et audiat«, insequenti versu canit poetria (v. 12):

Dic mihi, Calliope, quidnam pater ille deorum
Cogitat?

Simili modo, ut iam apud Juvenalem vidimus, Vergilius, quod ille Calliopae, Erato tribuit atque hanc deam, ut sibi res gestas narret, vocat Aen. VII 37:

Nunc age, qui reges, Erato, quae tempora rerum
Quis Latio antiquo fuerit status . . .

v. 41: Tu vatem, tu, diva, mone! e. q. s. Singularis sane hic locus est; nam Erato, cuius auxilium satis frequenter a poetis Romanis in carminibus componendis invocatur, non nisi erotica vi gaudet atque ad eiusmodi plerumque carmina incitare solet. Est enim Erato Musa *ὀρχήσεως*, atque, ut ait scholiasta ad Ap. Rhod., *τῶν τῆς Ἀφροδίτης ὀργίων* et hanc vim, cum tutelaris dea invocetur, servavit. Ovidius eam in Arte amatoria appellat (II 15):

Nunc mihi, si quando, puer et Cytherea favete,
Nunc Erato; nam tu nomen amoris habes[1])!

Atque ibidem 425:

Docta, quid ad magicas, Erato, deverteris artes?

Quid mirum, si in describendis festis mensis Aprilis, Veneri sacri, Erato eorum ritum poetae aperit Fast. IV 195:

Sic ego. Sic Erato (mensis Cythereius illi
Cessit, quod teneri nomen amoris habet).

e. q. s. Non aliter Statius quoque in epithalamiis Eratus auxilium orat Silv. I 2. 49:

Hic, Erato iucunda, doce

atque in simili illo carmine IV 7:

Iam diu lato spatiata campo
Fortis heroos, Erato, labores
Differ, atque ingens opus in minores
Contrahe gyros!

Contra Alcman hanc vim amatoriam Calliopae tribuerat, cum diceret (frg. 45 Bergk P. lyr. Gr. III p. 849):

---

1) cf. Ovidii Fast. I 467 de Carmenta, quae nomen habeat a carmine ductum.

Μῶσ' ἄγε, Καλλιόπα, θύγατερ Διὸς
Ἀρχ' ἐρατῶν ἐπέων e. q. s.,

quae certe non totius antiquitatis Graecae sententia fuit. Nam tempore Alexandrino Calliope Musa *ποιήσεως* erat, i. e. carminis heroici. Quam vim Romanorum poetae cum respiciunt tum Hesiodi versum sequi videntur, qui hanc Musam *προφερεστάτην ἁπασέων* nominavit (theog. 77). Itaque Ovidius Fast. V 79 dicit:

Tunc sic, neglectos hedera redimita capillos,
Prima sui coepit Calliopea chori.

Atque Lucretius de rerum natura VI 92 hisce eam adit:

Currenti spatium praemonstra, callida Musa
Calliope, requies hominum divomque voluptas,
Te duce ut insigni capiam cum laude coronam.

Vergilius autem omnes Musas adloquens unam Calliopen nominatim vocat Aen. IX 525:

Vos, o Calliope, precor adspirate canenti[1]).

Notissimus est locus Horatii c. III 4:

Descende caelo et dic age tibia,
Regina, longum, Calliope, melos
Seu voce nunc mavis acuto,
Seu fidibus citharaque Phoebi.

Propertius Calliopae aequum locum atque Apollini tribuit (II 1, 3)

Non haec Calliope, non haec mihi cantat Apollo;
Ingenium nobis ipsa puella facit.

Posterioribus temporibus Calliope hunc locum insignem deperdidisse videtur. Nam et minus frequenter invenimus invocationem eius deae et, cum habeamus, ceteris Musis aequata est. Velut canit Propertius IV 6, 11:

Musa, Palatini referemus Apollinis aedem,
Res est, Calliope, digna favore tuo!

Ex reliquis Musis unam Melpomenen, quae est Musa *ᾠδῆς*, id est carminis tragici, Horatius adamavit; tribus enim

---

1) Eundem versum legis in Anth. Lat. (Baehr. P. L. M. IV) nr. 198 v. 49.

carminum locis eam poeseos patronam compellat. Ac quamquam Ovidius in Fastis (IV 83) docet:

. . . Sed supprime, Musa, querelas,
Non tibi sunt maesta sacra canenda lyra,

non tamen dulcissimum illud carmen ad Vergilium datum offendit de morte Quintilii, absolutum omnino ac perfectum, quo hanc deam in auxilium vocat, ut digno cantu amicum carissimum celebret, c. I 24:

Praecipe lugubres
Cantus, Melpomene, cui liquidam pater
Vocem cum cithara dedit.

Quem porro non illud: »Quem tu, Melpomene, semel« e. q. s. oblectavit (c. IV 3), quod est totum ad Musam directum, neque ad maestam, sed ad eam, quae »dulcem strepitum temperet«? Scriptum esse carmen videtur ad indicandam laetitiam ob laudem ex carmine saeculari a populo et principe acceptam. Tertium Horatius eam compellat carmine ultimo libri III, quo loco ex Melpomene petit, ut lauro Delphica ipsius comam ornet, monumentum aere perennius cum exegerit. In reliquis Romanorum scriptis frustra eius deae invocationem quaesivi neque inveni nisi unum locum in Orestis tragoedia, quae fertur (Baehr. P. L. M. V p. 219). Sed quantum hic locus ab illo Horatiano differt! Habes:

Te rogo, Melpomene, tragicis descende cothurnis
Et pede dactylico resonante quiescat iambus,
Da valeam memorare nefas laudabile nati e. q. s.

R e l i q u a r u m Musarum nomina desiderantur in invocationibus. Apud unum Ovidium etiam istae deae poetam docent: sed alia haec res est, de qua iam supra nonnullis locis locutus sum et infra copiosius loquar. Poeta Fast. V 7 sqq. omnes Musas ante oculos nobis ponit, quae de Maio mense, unde originem capiat, referant, atque hoc loco etiam Polyhymniam et Uraniam loquentes facit. (Simile est, quod Ciris poeta v. 55 Polyhymniam quasi suam Musam inducit).

Priusquam a Musis animum avertamus, non alienum esse puto de e p i t h e t i s paucis disserere, quibus poetae Musas cum adloquantur ornare solent. Res ipsa fert, quoniam aliquid ab

iis petunt, ut honorificentissima adiectiva diis suis tribuant. »Mea« Musa et »tua« solus Ovidius utitur, ut Fast. II 359:

Adde peregrinis causas, mea Musa, Latinas,

scilicet unde Lupercalia originem nomenque traxerint. Quo cum loco conferas Amorum III 1, 6 et Rem. 387. »Tuam« habet Am. III 1, 27. Idem Ovidius solus exhibet epitheton »parens« Met. X 147:

Ab Iove, Musa parens, — cedunt Iovis omnia regno —
Carmina nostra move!

»Regina« est Musa Horatii c. III 4, 1:

Descende caelo et dic age tibia
Regina, longum, Calliope, melos!

Doctam Musam vocat Vergilius cat. XI 1:

Pauca mihi, doctae, dicite, Pegasides!

Ovidius Erato doctam nominat Ar. Am. II 425, versu supra citato[1]).

»Dulcem« compellat Horatius c. I 26, »gracilem« Propertius, »auream« Phocas vita Verg. v. 4, »mitem« Claudianus in laude Stilichonis II 5:

Mitior incipiat fidibus iam Musa remissis.

Optima est Musa auctoris Sulpiciae Saturae v. 58.

»Severa« est Musa Senecae in Anth. Lat. nr. 39 (Baehr. P. L. M. IV pag. 72). Singularem locum obtinent epitheta Lucretii »callida« (d. rer. nat. VI 92), ob similitudinem certe initiorum Calliopae adpositum et Horatii »procax« c. II 1, 37, quoniam aliena sibi arrogat Musa, cum aliis locis iocosa sit; in Amoribus (III 15, 19) habet Ovidius »genialem« Musam. Simili modo Art. am. I 125 puellas dicit praedam genialem:

Ducuntur raptae, genialis praeda, puellae

(cf. ibid. III 327). Propertius IV 4, 51 Musam »magicam« nominat:

O utinam nossem magicae cantamina Musae!

quo de loco recte Hertzbergius ad Prop. t. III pag. 437: »Musam si poesin dici nemo negavit, ut magorum poesis magica Musa audiat, necessario sequitur«.

---

1) cf. Catulli 35, 16 sq; 65, 2. Non raro extra invocationes »doctae virgines« Musae sunt.

III.

Iam vero, Musae iucundae, valete! Ad deos deasque ceteros iam progredimur; quibus quamquam munus carmina inspirandi expressis verbis non est tributum, tamen praesides carminum a poetis invocantur, atque ex iis omnibus poetae, etsi paulo rarius quam e Musis, furorem poeticum trahere solent. Sed haud raro apud interpretes poetarum legitur non nisi Musis advocatis vates ad carmina scribenda aggredi et e locis, quae potissimum sacra ipsis sunt, ut auxilio veniant arcessere; at alium quemque deum pro carminis materia invocari posse ignorabatur plerumque. Recentissimis etiam temporibus Birtius, praeceptor carissimus, in libro de Halieuticis scripsit (p. 69): »Neque umquam nobis scientibus ipsa Diana vatibus quidquam dicebat.« (Intellegit versum Grattii in carmine venatico 99). Falluntur omnes, maxime certe de litteris Romanis.

Sed etiam in antiquitate Graeca non abhorrebant poetae ab invocationibus cuiusvis numinis pro carminibus suis; nam Hesiodus ipsas Musas carminis praesides primum a diis initium facere solitas fuisse tradit atque in eorum honorem cecinisse. Notissimus porro et saepe imitationi fuit locus Arati: *Ἐκ Διὸς ἀρχώμεσθα.* Quamquam expressis verbis poeta Jovem pro carmine non adit, tamen sine dubio etiam huius in tutelam simul cum Musarum se contulit. Atque hunc sensum etiam scholiasta statuebat, cum Homeri hosce versus compararet: *Μῆνιν ἄειδε, θεά* et *Ἄνδρα μοι ἔννεπε, Μοῦσα.* Cicero autem convertit: »Ab Jove Musarum primordia« (legg. II 3) ac scholiasta Germanici, qui Phaenomena ab Iove et Augusto auspicaverat eumque fautorem rectoremque compellaverat, in commentariis ad hunc locum, cum »cur ab Jove et non a Musis ut Homerus« coeperit, quaesiverit, in Phaenomenis magis quadrare dicit Jovem invocare, »quod ipsorum carminum origo est Juppiter«. Accedunt nonnulla ex antiquitate exempla simillima. Festus Avienus in paraphrasta habet: »Carminis incentor mihi Juppiter [1].« Neque vero Musae prae hisce deorum invo-

1) Neglegamus hoc loco hymnos Homericos, in quibus saepe aliquis deus, plerumque is, cuius in honorem prooemium factum est, pro materia carminis insequentis advocatur; difficile saepe est iudicare, utrum dei

cationibus omnino negleguntur aut deos omnino earum loco ponere ausi sunt poetae, nam plerumque apud Alexandrinos poetas Musae una cum diis invocantur, ut Aratus Phaenomenorum versu altero dicit:

. . . . . . χαίροιτε δὲ Μοῖσαι

atque Apoll. Rhod. I init:

Ἀρχόμενος σέο Φοῖβε . . . . .

. . . . Μοῦσαι δ'ὑφήτορες εἶεν ἀοιδῆς.

Quacumque de re poemate agitur, Musae primae praesides sunt neque aequaliter numina, quibus haec vel illa res sacra erat [1]); itaque Musae ore poetarum (Cic. Deiot. 10. 28), ipsarum sacerdotum, hominibus materiam quandam versibus canunt (Hes. theog. 22), quam forte aliquis deus vati inspiraverat [2]).

Romani longius procedebant. Florebat enim mos ab uno quoque deo carmina auspicandi maxime apud illorum poetas atque imprimis apud didacticos. Quid mirum? Illud genus carminum de aliqua arte agit, quae cuidam numini sacra est, atque eo tantum poetae progressi sunt, ut haec

---

invocatio sensum praebeat, ut in versibus componendis adiuvet, necne, et quid mirum habet, si poeta in precatione sua oret, ut et civibus urbis propitius sit deus et sibi ipsi in versibus componendis ac recitandis faveat. Sed saepius pro hac re, quae raro adhibetur, Musa separatim advocatur, ut hymni εἰς Ἑρμῆν hy. 2, εἰς Ἀφροδίτην hy. 3, εἰς Ἄρτεμιν hy. 8, εἰς Ἥλιον hy. 30 initio, aliorum. Contra in hymno εἰς Μούσας hy. 24 incipit poeta ab Apolline et Jove, atque εἰς Ἀφροδίτην hy. 9 ab ipsa Venere auspicatur v. 5: δὸς δ'ἱμερόεσσαν ἀοιδήν.

1) Aristophanes Musas saepe (ut Aves 737, Pax 775, 816, Ran. 675, Ach. 665), nonnumquam alios deos invocat (ut Nub. 564 Eq. 559); attamen multum interest inter utriusque invocationis utendae rationes; nam cum Musam vocat, cantui cum choro coniuncto ut intersit orat, cum deum quendam, nonnisi omnino choro, ut e. g. Ran. 675: Μοῦσα χορῶν ἱερῶν ἐπίβηθι καὶ ἔλθ' ἐπὶ τέρψιν ἀοιδᾶς; at Eq. 559: Ποσεῖδον . . . δεῦρ' ἔλθ' ἐς χόρον.

2) Theocritus VII 37 se ipsum purum os Musarum nominat: καὶγαρ ἐγὼ Μοισᾶν καπυρὸν στόμα e. q. s., quod nemo antea, ni fallor, ausus est dicere. Sed cf. Moschi III 72: Ὅμηρος, τῆνο τὸ Καλλιόπας γλυκερὸν στόμα; Anth. Pal. VII 75; στόμα Μούσης. Ovidius dicit ora poetarum lavari Pieridis aqua. cf. Quintil. X 1, 33. — Trita vatum consuetudo est dicere se esse Musarum sacerdotes.

poemata ab ipsis illis numinibus in vates defluxisse cogitarent omissis Alexandrinorum Musis. Genus didacticum autem ex intimo ingenio populi Romani vel rectius imperii natum est, quod inde ab Alexandri Magni temporibus per totum fere orbem terrarum manavit. Atque hac in arte Romani Graecos et optimorum liberae rei publicae temporum et Alexandrinorum, quae dicuntur, non solum superaverunt, sed etiam eo perfectionis processerunt, ut Graecis exempla, quae imitarentur, praeberent: nam Romanorum erat ex initiis didacticae Alexandrinorum poeseos, quam »nullam varietatem, nullum affectum habere« Quintilianus (X 1, 55) dicit, iucundam poesin ac vividam, procreasse. Horatianum illud ante oculos habuisse videntur:

Omne tulit punctum, qui miscuit utile dulci.

Atque hoc in genere primi ausi sunt carmina loco Musarum a quovis alio numine quasi a solo praeside cantus auspicare ac deos ipsos et pro forma et pro materia invocare. Ex didactica autem poesi haec consuetudo etiam in alia genera migravisse videtur; nam et ibi permultis locis hac ratione utuntur. Per naturam ipsam autem elucet Musarum invocationes neque in aliis omnino neque in carminibus didacticis deesse, id quod iam superiore loco, quo de Musis agebamus, dictum est. — Quod ad tempus attinet, occurrit nobis hic usus in carminibus cuiuslibet aetatis ab Ennii temporibus ad carmina infimae Latini sermonis aetatis.

Insignem autem locum, quantum ad nostram rem pertinet, inter carmina didactica Ovidii obtinent cum alia tum Fasti, de quibus nunc paucis agendum est. Quibus libris per singulos menses omnium deorum festa, eorum origines celebrandique consuetudines, describi constat; qua in re permultis locis, cum ad novum deum progreditur, hunc ipsum Naso invocat atque opem exorat, ut recte digneque cantum de suo festo ipsum perficere sinat. Atque frequenter illa elocutionis forma usus est, quam Alexandrini poetae invenisse dicuntur, ut dialogo poeta cum diis colloquatur. Callimachus enim, ut ex Anth. Pal. VII 42 sequitur, finxit sibi somnianti in Parnasso ex Musarum ore omnia, quae de ori-

ginibus, quas scripturus erat, scire debebat, manifestata esse [1]). Ovidius autem etiam hac in re longius progressus est, cum id, quod Callimachus Musis tantum tribuisse dicitur, in universos deos deferat atque unum quemque fere eorum citat, ut secum colloquatur. Num quem alium praeterea poetarum Alexandrinorum, qui hunc morem sanxerit, Ovidius imitatus sit, dubito; Callimachum certe exemplar fuisse, quantum ex paucis eius fragmentis cognosci potest, negari posse non puto atque eum imprimis Aetiorum librum, qui de sacrorum publicorum causis erat [2]). Inter alia enim nonnullas sermonum reliquias habemus, quibus, ut Musae sibi origines causasque quarundam rerum pronuntiarent, poeta orasse videtur. Sunt fragmenta (Schneid.) 331: *φθέγγεο, κυδίστη, πλειοτέρῃ φάρυγι ὄφρα σε . . .*; 358: ***Μνημοσύνης*** *ἦδ' ὧδε γόνου χαρίεντος ἐπίσσα*; 114: *τώς δ' ἐφθέγξατο* ***Καλλιόπεια.*** Quibuscum versibus permulti loci Ovidiani comparandi sunt, quibus sermonem simillimum invenimus; ut Fast. I 93; III 170 sqq; 325 (quocum cf. Call. frgm. 177). De tota hac re usque quaque non satis disputatum et inquisitum est; sine dubio autem, ni fallor, non pauca fragmenta Callimachi ex comparatione cum Ovidianis instituta ad Aetia pertinere agnosci poterit, quibus hoc carmen adverso fato deperditum illustrabitur, nec non etiam Fastorum fontes magis magisque in lucem aperientur. Haec de imitatione Callimachi monuisse contentus sum [3]). — Contra posterioribus temporibus Graecos Romanorum atque Ovidii morem imitatos esse manifestum est. Oppianus quidem eodem modo atque Ovidius Dianam in Cynegeticis invocat, quae ipsum res venatorias canere iubet; sequitur deinceps alternatim dialogus inter poetam et deam, quo ut asperam viam nondum tritam ingrediatur dea monet, orat poeta, ut opus coeptum adiuvet, vetat illa, ne

---

1) Videas infra, quo disputabitur, ubinam tutelares suos deos versatos esse poetae finxerint, in partis II cap. 2.

2) cf. Schneideri Callimacheorum tom. II.

3) vid. H. Peter, über den Inhalt und die Entstehungszeit von Ovids Fasten, in exordio editionis suae Fastornm p. 15; et Birtii appendicem ad animadversiones ad Ovidii heroidum epistulas in Mus. Rhen. XXXII p. 430.

Bacchum canat neve heroum aut hominum pugnas, sed ferarum et venatorum certamina. Ovidianum locum Graecis verbis reddi arbitraris. Non aliter in eiusdem Oppiani Halieuticis. Omitto Romanorum ipsorum eius temporis poetas, quorum de imitationibus Zingerle nonnullos libellos composuit. Quae consuetudo Romana, ab Ovidio maxime culta, quanti momenti fuerit, ex eo perspicuum est, quod eo ex tempore per universas litteras omnes dii deaeque aeque ac Musae, quarum munere illi quoque funguntur, compellantur, ut divinum flatum poetis iniciant.

Iam ad ipsas eius modi invocationes aggrediamur.

Ac primum quidem omnes dii audiuntur vel maior eorum numerus, qui ad unum eundemque orbem spectant. Quamquam non est inter poetas numerandus, nomino Varronem, qui d. re rust. I 1, 4 haec dicit, se deos invocaturum esse, ut ipsum adiuvent, »nec ut Homerus et Ennius Musas, sed duodecim deos consentis[1])«. Non multum a Varronis verbis differt Vergilii Georgicorum exordium; omnes enim deos deasque vocat, quos per totum annum agricolae favere necesse est, Liberum Cererem Minervam Neptunum Panem Faunos Dryadas; denique v. 21 dicit:

Dique deaeque omnes, studium quibus arva tueri
Quique novas alitis non ullo semite fruges
Quique satis largum caelo demittitis imbrem:

omnes ipsi propitii sint, atque inter eos Caesar Augustus ipse, qui adsuescat iam nunc votis vocari; facilem cursum poetae dent atque audacibus coeptis adnuant (v. 40). Simillimus est locus Propertii III 13, 41:

Dique deaeque omnes, quibus est tutela per agros,
Praebebant iustis verba benigna focis.

Brevioribus verbis Ovidius deos pro Metamorphoseon libris invocat; notus est locus (Met. I 2):

. . . Di coeptis, nam vos mutastis et illa,
Adspirate meis, primaque ab origine mundi
Ad mea perpetuum deducite tempora carmen!

---

1) Non aliter Quintilianus in prooemio libri IV institutionis oratoriae § 5.

Nihil miri hae invocationes habent; nam pro eiusmodi tantum carminibus omnes deos vocari animadvertis, quibus unus quisque eorum agens producitur vel quae de iis rebus, quae universis sacrae sunt, agunt. Tali modo fauces Orci in VI. Aeneidos libro describens Vergilius a diis infernalibus auspicat carmen v. 264:

Di, quibus imperium est animarum umbraeque silentes
Et Chaos et Phlegethon, loca nocte tacentia late:
Sit mihi fas audita loqui, sit numine vestro
Pandere res alta terra et caligine mersas.

Quos versus ante oculos habuisse videtur Claudianus de raptu Proserpinae I 20 sqq.:

Di, quibus in numerum vacui famulantur Averni,
Vulgus iners, ...
Vos mihi sacrarum penetralia pandite rerum
Et vestri secreta poli!

Sine causa, ut videtur, universos deos advocat auctor carminis, qui legitur in codice Salmasiano p. 48 (in Riesii Anth. Lat. I 1, pag. 74) v. 34:

Vos, o caelicolae, vestrum nunc invoco numen,
Sit mihi fas reticenda loqui, dum proditur iste.

Ab universis ad singulos deos animum advertamus. Res ipsa fert, ut, cum Musarum in auxilium se dent poetae, etiam ducem Musarum, Musageten, invocent. Inter omnes excellit arte musica Phoebus, dux Musarum; itaque omnibus temporibus et solus et una cum Musis advocatur, ut lyrae fila poetarum moveat. Omitto hymnum illum Horatianum ad Delium (c. IV 6), quem carmine saeculari confecto scriptum esse constat; orat poeta, ut se quoque adiuvet iustamque canendi facultatem praebeat; ipsius enim artem laudemque acceptam se referre. Similis est hymnus Tibulli (II 5); faveat Phoebus (v. 1) et doceat, quid Sibylla cecinerit (v. 17):

. . . et ipse precor, quid canat illa, doce!

Loco Musarum autem initio carminis invenitur hic deus in Argonauticis Valerii Flacci, ubi advocato Phoebo sic pergit poeta v. 11:

Sancte pater, veterumque fave, venerande, canenti
Facta virum [1])!

atque v. 20:

. . . Nunc nostra serenus
Orsa iuves, haec ut Latias vox impleat urbes.

Nihil differt inter hanc et Musarum invocationem. — Paeanis cognomine usus Statius Silv. I 2 Apollinem adit:

Unde sacro Latii sonuerunt carmine montes?
Cui, Paean, nova plectra moves? humeroque comanti
Facundum suspendis ebur?

Nemesianus Vergilii locum illum singularem eclogarum (VIII 62) imitatus est; sed quod hic a Pieridibus, ille a Phoebo petit (ecl. II 53):

Haec Ida calamis. Tu quae responderit Alcon
Versu, Phoebe, refer; sunt curae carmina Phoebo.

Excursum me hoc loco facere liceat de »Hercule Musarum«. Romae templum exstabat a Fulvio Nobiliore, Ennii artiumque liberalium fautore, aedificatum, ab Augusto renovatum, cui nomen erat: »Herculis Musarum«; viri docti autem et priorum et nostrorum temporum ea ex re Herculi munus Musagetae vindicabant. Sed nullo loco, ni fallor, litterarum Romanarum ille Hercules vocatur, qua ex re luculenter sequitur coniunctionem illam inter eum et Musas non tam firmam ac solidam fuisse. Ineptum sane est, quod Schillbach »de Musis« pag. 21 dicit: »Herculem ducem Musarum esse, nam Musas beneficiis eum sibi obligavisse et devinxisse gratia«, cum »monstra horribilia exemerit, insolentes, immanes ferocesque homines et beluas ac monstra occiderit et ita viarum agrorum domiciliorum (sc. Musarum) securitatem effecerit«; »Musas autem, nisi securae sint et tutae a violentia, refugere«. Quae coniunctio si quidem, ut idem docet, certis Graeciae locis existebat, a Romanorum ingenio certe abhorrebat, ac templum illud »Herculis Musarum«, quod vocatur, non est Herculis, ducis Musarum, sed Herculis et Musarum.

---

1) Recte Baehrensius (praef. pag. XIII) pro »veneranda« codicis coniectavisse censeo »venerande«

Idem fatum atque Herculi Gratiis contigit, certe apud Romanos, de quibus hoc loco aliquid adicere liceat. E Graecorum poetis Furtwaenglerius unum locum, quo illarum dearum invocatio reperitur, citavit, qui est in Sapphus fragm. 60 (vid. Roscheri lexicon mythologiae s. v. »Chariten«). Sunt enim illae deae iucunditatis corporum atque ideo Veneri plerumque consociatae apparent, nec Musis. Quod si nihilo setius nonnullis locis etiam cum his coniunctae inveniantur, pulchritudo corporis cum mentis atque sermonis consociata significari videtur. Singularem locum Vergilii cat. XI 60 praebet:

Nos ea, quae tecum finxerunt carmina divi,
Cynthius et Musae, Bacchus et Aglaie,

in quo patet Aglaiam, unam ex Gratiis, concinnitatis causa Baccho coniunctam esse, ne, ubi Cynthius Musas habet, Bacchus solitarius incedat. — Cum porro usitata ex antiquissimis temporibus scriptorum consuetudo esset, ex Musis novem operum libros appellare, infimi demum aevi auctores tres libros e Gratiis appellabant, ut Leonidae Alexandrini (Anth. Pal. VI 328); nec dubium esse potest, quin tres illae Aeschinis orationes a viro docto quodam eiusdem temporis a Gratiis nomen traxerint [1]). Haec me dixisse sufficiat.

Phoebum ac Musas habes in Culicis v. 11 sqq., utrumque cum Baccho in Art. am. III 347:

O ita, Phoebe, velis! ita vos, pia numina vatum,
Insignis cornu, Bacche novemque deae!

Cur Bacchus cum Musis et Phoebo consociatus sit, non difficile est intellectu. Qualis enim est? E vino omnis furor atque instinctus in hominum animos confluere cogitabatur itaque etiam poeticus [2]), qua de causa Bacchum quoque inter vatum numina Ovidius nominat. Aequa ratione idem Art. am. I 525 se ipsum Liberi vatem praedicat:

Ecce suum vatem Liber vocat!

Ceterum non ita frequens hic carminum deus invenitur. Praeter versum ex appendice Vergiliana, quem modo citavi (Cat. XI 60)

---

1) vid. Birtii »Das antike Buchwesen« p. 39.

2) cf. Hor. c. II 19; ep. II 2, 27 sqq.

habemus locum Horatianum; qui, quamquam nullo loco expressis verbis Bacchi auxilium advocat, c. III 25 initio exclamat: Quo me, Bacche, rapis tui plenum? Iam Propertius c. III 17, quo se ipsum Bacchi virtutis vatem praedicat, v. 2 scribit:

Da mihi pacato vela secunda, pater.

Sed num de itinere poetico loquatur dubium est. Iuvenalis sat. VII 55 omissa invocatione Cirri Nysique dominum, i. e. Apollinem et Bacchum, quasi patronos poeseos dicit.

Neque vero cum his Bacchi compellationibus, quibus Musarum munere ille fungitur, confundendi sunt loci Vergiliani et Ovidiani. Ille enim initio secundi libri Georgicorum, quo de vitibus colendis locuturus est, Liberum pro carmine adit, v. 39 sqq.:

Tuque ades inceptumque una decurre laborem,
O decus, o famae merito pars maxima nostrae.

Ovidius autem in tertio Fastorum festa diei decimi septimi mensis Martii (a. d. XVI. Kal. Mai.) canens, quo Liberalia in Liberi honorem celebrabantur, ipsum deum vocat, ut faveat, v. 714:

. . . Bacche, fave, dum tua festa cano.

Atque iterum ibid. VI 483, quo loco Matronalia, matronarum festum in honorem Matris Matutae celebratum, canit. Quomodo autem poeta Bacchum ad hunc locum muliebrem vocat? Mater Matuta, dea Italis genuina, iisdem muneribus fungebatur, quibus Ino Leucothea apud Graecos, nam erat dea portuum. Cum autem Graecorum mores Romam translati essent, utriusque deae cultus inter se commiscebantur. Leucotheae soror erat Semele, cuius ex Iove filius Bacchus[1]). Suo iure igitur Ovidius versu citato canit:

Bacche, racemiferos hedera redimite capillos,
Si domus illa tua est, dirige vatis opus!

Namque eodem inde genere vel eadem domo utebantur Liber et Mater Matuta. Ceterum de his Vergilii et Ovidii locis videas, quae supra de Fastis locutus sum, quibus hi loci similes sunt; nam nostris locis Bacchus invocatur ut deus vini et patronus Matronalium neque, ut supra, deus poeseos, Apollini similis.

---

1) cf. Peter in editione Fastorum ad hunc locum; v. Met. IV 416 sqq.

Coniungebatur praeterea I u p p i t e r cum Phoebo. Cicero d. legg. 2, 3. ab Iove Musarum primordia esse dicit, ac non paucos locos inveni, quibus una cum Phoebo Iuppiter ipse in auxilium vatum vocatur, praesertim in carminibus amoebaeis poeseos pastoralis. Saepius enim cum a diis carmina sua incipiant, pastorum alter Iovis alter Apollinis auxilium rogant, Alexandrinum sine dubio exemplum imitati (cf. Theocr. XVII 1). Ita Vergilii pastores certamen incipiunt ecl. III 60:

D: Ab Iove principium, Musae; Iovis omnia plena,
Ille colit terras, illi mea carmina curae!
M: Et me Phoebus amat: Phoebo sua semper apud me
Munera sunt, lauri et suave rubens hyacinthus.

Similis locus est Calpurnii ecl. IV 82 sqq., quo ineptiae poetae adulatoris respiciendae sunt, cuius pastor uterque Caesarem i. e. Neronem pro cantu suo invocat, cum alter eum Iovis figuram, alter Apollinis habere eorumque muneribus deum Neronem fungi praedicet.

Tertius est locus, modo dicto Calpurnii simillimus, in priore illorum bucolicorum carminum auctoris incerti ad eundem directo et eadem qua Calpurnius adulatione insigni, quod exstat in codice Einsidlensi nr. 266 (hodie in Baehr. P. L. M. III pag. 60 et in Riesii Anth. Lat. nr. 725). Cuius carminis, de quo mox alio loco accuratius inquirere in animo habeo, versus 22 et qui sequuntur, mea quidem sententia, quam copiosius hoc loco non probabo, ita legendi sunt:

22. L: Maxime divorum caelique aeterna potestas,
24. Da cytharae modulis primordia iungere mundi.
23. TH: Seu tibi, Phoebe, placet temptare loquentia fila,
25. Carminibus virgo furit et canit ore coacto.

Quae cum ita sint, certum saltem est etiam his in versibus invocationem nos habere. Sed si sensum v. 25 quaeris, usque quaque consilii me inopem esse confiteor. Legimus ibi virginem, cum vatem expectemus! An eo ineptiarum poeta progressus est, ut ipsius animum cum illarum virginum, dico Cassandrae, Sibyllae, Pythiae, comparet? ita ut coacto ore se divi Neronis laudes canere dicat? Nihil profecto tam ineptum cogitari potest, quod non his poetis assentatoribus tribuere possimus. Ceterum

verbum »da« v. 24 pro »et«, quod exhibet codex, Birtii benignitati debeo, qui collocutus mecum id communicavit.

Solius Iovis invocationes non exstant apud poetas nisi forte in versu incerti auctoris, quem legis in Baehrensii fragmentis P. R. pag. 357 frgm. 7:

Iuppiter omnipotens, caeli qui sidera torques,
Ore tuo dicenda loquar!

Dianam cum consociatam vides cum Apolline fratre in advocationibus, non eodem modo explicandum est, ac si Bacchus una cum Apolline invocatur. Nam Diana non inter »pia vatum numina« numeranda est; sed causa, cur eius auxilium pro carminibus petatur, ea habenda est, quod vel forte eius festa canuntur vel venaticum carmen componitur. Velut Phoebus et Diana prioribus duobus strophis carminis saecularis ab Horatio nominantur, ut dignum carmen dicere concedant:

Phoebe, silvarumque potens, Diana,
Lucidum caeli decus, o colendi
Semper et culti, date, quae precamur,
        Tempore sacro,
Quo Sibyllini monuere versus
Virgines lectas puerosque castos
Dis, quibus septem placuere colles,
        Dicere carmen.

Constat enim ex consilio Augusti Apollini et Dianae, diis tutelaribus populi Romani, summos in ludis saecularibus honores tributos esse. Alii volunt eorum in honorem ea de re celebratos esse ludos saeculares, quod alter est superus *κατ᾽ ἐξοχήν*, altera infera dea. cf. Hor. c. IV 6 et adnotationes virorum doctorum ad nostrum locum et Forbigeri ad Verg. ecl. IV 10.

Alia res est in didacticis de venatione poematibus, quibus poetae, quod iam supra monitum est, Dianae, ut quae est dea venantium, in auxilium se dant atque orant, ut in carminibus faciendis se ipsos adiuvet [1]). Recte igitur legitur,

---

1) Apollo, quamquam una cum sorore venationem invenisse dicitur (Xen Cyn. I 1: *Τὸ μὲν εὕρημα θεῶν, Ἀπόλλωνος καὶ Ἀρτέμιδος, ἄγραι καὶ κύνες*), numquam istius rei causa una cum Diana vocatur.

quod codices exhibent in carmine venatico Grattii Falisci v. 99:

Dic age Pierio, fas est, Diana, ministro,

postquam v. 1 cecinit:

Dona cano divom, laetas venantibus artes,
Auspicio, Diana, tuo!

Atque Nemesianus quoque in Cyneg. v. 97 Dianam intellegit:

Duc age, diva, tuum frondosa per avia vatem,
Te sequimur; tu pande domos et lustra ferarum.

Docet ac dicit ergo Diana his locis de iis rebus, quas vates canere volunt, non aliter ac quivis alius deus aliorum in carminibus de sua ipsius historia, festo, origine, similibus. Ac re vera sese Grattius Dianae ministrum vel sacerdotem esse fingit, qui Pieridum more, i. e. carmine, de re venatica agere in animo habeat. Si vero quem offendit [1]) obiecto verba »dic age« carere, ex numero locorum aequalium hosce tres nomino: Verg. Aen. IX 79: »dicite!«, Ov. Fast. V 7 sqq.

Dicite, quae fontes Aganippidos Hippocrenes,
Grata Medusaei signa tenetis equi!

Iuv. Sat. IV 34:

Incipe, Calliope; licet et considere e. q. s.

Neque vero desidero obiectum; versibus antecedentibus enim continetur: »deus ille (primus auctor) an mens fuit? dic age, Diana!« Sed tantum abest, ut hac interpretatione difficultatem, quam versus insequens praebeat, minutam, ut denuo renovatam esse arbitrer et magnopere doleam Birtii coniecturam perbene ad sensum quadrantem his, quae dixi, debilitatam esse. At non meum est de hac re ardua inquirere; concedo viris doctioribus.

Ut finem faciamus, Dianam eiusque Nymphas et Naiadas, »virides deas, undarum dominas«, Statius compellat Silv. I 5. Ad balneum Claudii Etrusci canendum dimittit Phoebum Musasque, citat eas quas dixi deas, ut se in canendo opere, quod iis sacrum sit, adiuvent. Legimus v. 23:

---

1) cf. Birtii de Halieuticis Ov. pag. 69.

Vos mihi, quae Latium septenaque culmina Nymphae
Incolitis, Thybrinque novis attollitis undis,
Quas praeceps Anien atque exceptura natatus
Virgo iuvat . . . . . .
Vestrum opus aggredimur, vestra est, quae carmine molli
Pando, domus, rell.

Similem locum praebet Nemesiani Cyn. v. 95 sq.

Opinione largior factus sum; linquamus Dianam et ad Apollinis advocationes revertamur; restat enim, ut de eius invocationibus ut dei corporum salubritatis disseramus[1]). Quem vocat Ovidius pro carmine de remediis amoris, v. 75:

Te precor incipiens; adsit tua laurea nobis,
Carminis et medicae, Phoebe, repertor opis.

Et v. 703:

Consilium est quodcumque cano; parete canenti:
Utque facis, coeptis, Phoebe saluber, ades!

Ab eodem Phoebo salutifero inchoat Q. Serenus Sammonicus librum medicinalem (Baehr. P. L. M. III p. 107), cum dicat initio prooemii:

Phoebe, salutiferum quod pangimus, adsere carmen
Inventumque tuum prompto comitare favore!

Ut Schillbach l. c. p. 22 docet, nonnumquam in artificiis Musae et Phoebus consuetudine utuntur Mercurii, lyrae inventoris, neque etiam raro Minervae, cum omnium pacis rerum tum artium et musicae fautricis. Apud poetas Latinos advocatur uterque deus pluribus locis nec vero coniunguntur cum Apolline.

Notissimum est carmen Horatianum ad Mercurium c. I 10, quo ille, quamvis pro carmine expressis verbis non invocetur, tamen ut lyrae inventor celebratur. Auxilii causa Horatius alio loco precibus ad illum se convertit, ut pro calliditate et facunditate sua carmen sibi det, quo Lyden, puellam obstinatam, sibi reconciliet, c. III 11, 7:

Dic modos, Lyde quibus obstinatas
Applicet aures!

1) Coniunctum cum Apolline singulari loco Domitianum in Stat. Silv. V 1, 11 habemus, de quo infra.

Mercurii invocationem in Fastis Ovidianis si non inveniremus, mirandum esset, cuius rei ea tantum causa cogitari posset, Mercurii festa in prioribus sex anni mensibus non celebrata esse. Inest nempe istius quoque dei invocatio, l. V, v. 445 sqq., a quibus Lemuriorum festa incipiunt:

Dicta sit unde dies, quae nominis exstet origo,
Me fugit; ex aliquo invenienda deo.
Pliade nate, mone, virga venerande potenti!

Lemuria pro defunctis celebrantur, ac Maiae filium, qui est ψυχοπομπός, de nominis origine compellari atque poetam docere, non mirum.

M i n e r v a autem, ut quae est mille operum cuiusve artis dea, certe et patrona carminum est (Ov. Fast. III 833). Atque iam antiquissimis temporibus eam patronam poetarum a Romanis cultam esse, cum alia tum collegium illud scribarum docet, qui vates sive poetae erant, velut Livium Andronicum inter eos fuisse constat, et qui in aede Minervae in Palatino sita conveniebant. Itaque eam adit Ovidius artificum festa canens, Quinquatrus dico, et maiores et minores. In illorum descriptione Fast. III 834 sqq. precatur:

Si mereor, studiis adsit amica meis:

atque in minorum IV. 651:

Et iam Quinquatrus iubeor narrare minores;
Nunc ades o coeptis, flava Minerva, meis!

Iubetur sane dispositione carminis. Iisdem verbis, quibus Vergilius Aen. VII 41 utitur, ut Erato sibi faveat,

Tu vatem, tu, diva, mone!

incertus auctor carminis Vergiliani ad Minervam deam advertitur (Anthol. Lat. nr. 198 in Baehr. P. L. M. IV. pag. 192 v. 3). — Aliis locis autem Minervam ut poetarum deam compellatam esse non invenimus; nam de Catulli versu I 9 iam supra locuti sumus.

Linquamus Apollinem eiusque socios et ad reliquos deos animos advertamus, ac primum quidem ad maiores.

Inter quos summum locum obtinet V e n u s. Iam Ennius, nisi fragmentum animum fallit, ex ea carmen auspicatus est; frgm. 30 (Baehr. F. P. R. pag 64):

Te venerata precor, Venus, te, genitrix patris nostri,
Ut me de caelo visas rogitata parumper!

Eadem, quoniam per eam »omne genus animantum concipitur visitque exortum lumina solis« a Lucretio initio carminis de rerum natura invocatur, v. 24:

Te sociam studeo scribundis versibus esse,
Quos ego de rerum natura pangere conor
Memmiadae nostro.

Mirati sunt viri docti, quod Lucretius, deorum inimicus, in Veneris auxilium se dat atque eam pro carmine adit. Quod cum faciat poeta, non concludendum est fundamenta ac rationes doctrinae eum deseruisse, sed recte Baylius, Francogallus, quem Munro in editione Lucreti citat, hoc carminis exordium »un jeu d'esprit« nominavit; per licentiam enim poeticam et ad exornandum carmen ei hoc facere licuit. Eadem res est in versu eiusdem carminis supra laudato VI 94, quo loco Calliopen orat, ut ipsum usque ad finem per circi spatia perducat [1]).

Venus autem imprimis est dea amoris, neque igitur mirandum est in amatoria poesi, prae ceteris scilicet in Ovidiana, saepissime eius auxilium exorari. Quem digniorem deum Ovidius pro arte sua amatoria vocasset? Legimus igitur l. I. v. 30:

. . . . Coeptis, mater amoris, ades!

et coniunctos cum ea Amorem et Erato II 15:

Nunc mihi, si quando, puer et Cytherea favete,
Nunc Erato;

nec non III 43, ubi poeta ipsam Venerem, ut doceat, imperasse et artem amoris ante ipsius oculos constitisse dicit. In Fastis autem, quoniam quartus mensis ei sacer est, quarti libri initio vocatur:

Alma fave, dixi, geminorum mater Amorum!

Ex insequentium aetatum poetis Nemesianus, si quidem recte Baehrensius de loco Flavii Vopisci [2]) coniectavit (Baehr.

1) Memorabilis est versus Truculenti Plauti paenultimus:
Veneris causa plaudite, eius haec in tutelast fabula.

2) vita Numeriani c. 11.

P. L. M. III. p. 174), Venerem vocat in versibus illis, quibus »Ponticon praefatio« inscribitur (Baehr., ibidem p. 172). Multis verbis praedicatam deam v. 16 hisce adit:

Quare, diva, precor, quoniam tua munera parvo
Ausus calle sequor, vitreo de gurgite vultus
Dextera prome pios et numina laeta sereno
Pierias age pande vias!

Amorem solum, comitem Veneris, habes plurimis locis Ovidianis. Phaedra Hippolyto scribens (Her. IV.) precatur, ut Amor sibi adsit; nam »regnat et in dominos ius habet ille deos«; ipsum Amorem ipsam scribere iussisse, quare v. 15:

Adsit et ut nostras avido fovet igne medullas,
Figat sic animos in mea vota tuos!

Εἰδύλλιον, ut dicunt Graeci, summae iucunditatis legis in initio Remediorum amoris. Legerat, incipit poeta, Amor titulum nomenque huius libelli, cum »Bella mihi, video, bella parantur« exclamavit; sed humi stratus poeta, ut parcat suo vati, ne sceleris eum damnet, petit; nam se fidelissimum Amoris sacerdotem esse; alios nempe iuvenes saepe tepere, se semper amavisse; »et si, quid faciam, nunc quoque quaeris: amo!«, nec se docere, quomodo vulneribus dei medeantur, sed remedia se dicere, ut quam longos annos amor duret neve pereant homines; petere se, ut istis in rebus propitius sibi adstet et adiuvet. Quibus verbis captus Amor aureus — dulce est visu — gemmatas alas movit et dixit: »Perfice propositum opus [1])«.

Hoc loco adsero locum Catullianum, quo Hymenaeum poeta compellat, ut carmen nuptiale suum canat. Sunt versus 61,9 sqq.:

Huc veni niveo gerens
Luteum pede soccum,
Excitusque hilari die

---

1) Simile idyllium legis initio libri primi Amorum, quo certamen est inter Amorem et poetam, quomodo is ad illius carmina venire suscipiat; Pieridum et Phoebi poetam esse sacerdotem neque Cupidinis. Inter iucundissimos elegos numerandos versus illos puto; neque autem expressis verbis Amorem pro sua materia invocat poeta. Cf. etiam ultimam Amorum elegiam III 15.

Nuptialia concinens
Voce carmina tinnula
Pelle humum pedibus, manu
Pineam quate taedam!

Iniuria Riesius adnotat: »Diese Lieder sind im Gedicht nicht weiter erwähnt«. Sunt enim »carmina« ipsi Catulli versus, velut poeta c. 65, 16 unum illud carmen, quod ex Graeca lingua amico suo vertit, »carmina« vocat, vel ut in carminibus bucolicis carmina amoebaea numero singulari »carmine« significantur (Calp. IV 80; Verg. ecl. VII 21; catal. VI 17).

Reliqui dii maiores cum aequabili fere frequentia invocationum honorentur, ab Iunone initium capere decet, »quae divom incedit regina, Iovisque et soror et coniux.« Cui deae cum Iunius mensis sacer sit, eiusque nominis originem, velut plurimorum, dubias habere causas Ovidius contendat, ab ipsa Iunone in Fastorum l. VI, quae dicere vult poeta, auspicantur. In denso nemore illa ei apparet, deinceps Iuventus et Concordia, e quibus Iuno a se ipsa, Iuventus a iunioribus, Concordia a Sabinorum et Quiritium coniunctione nomen trahit. Nec vero inter deas certantes Ovidius diiudicat Troianorum captorum memor; »plus laedunt, quam iuvet una, duae.« — Alteram Iunonis nominationem exhibet unum e carminibus Vergilianis Anth. Lat. nr. 201 (Baehr. P. L. M. IV pag. 199):

Pandite nunc Helicona, deae, nunc pectore firmo
Este duces, o siqua via est, et pronuba Iuno!

Martis festa pleraque tertio mensi celebrantur, eaque de causa in tertio Fastorum ille ab Ovidio vocatur, v. 1 sqq.:

Bellice, depositis clipea paulisper et hasta,
Mars, ades et nitidas casside solve comas!

Ades sane imperativus est velut dic, fave, pande, similia. — Versu 167 autem eiusdem libri eo Ovidius progreditur, ut illius auxilium etiam pro aliqua re, quae omnino a Marte abhorret, petat:

Si licet occultos monitus audire deorum
Vatibus, ut certe fama licere putat,
Cum sis officiis, Gradive, virilibus aptus,
Dic mihi, matronae cur tua festa colant.

Intellegit sane Matronalia in honorem Iunonis Lucinae, lucis deae et nativitatis, Kalendis Martiis celebrata. Aliud eius modi exemplum in litteris Romanis exstare non inveni; nullus praeter illum poeta ausus est.

Vestam idem poeta Vestalium festa die nono mensis Iunii (a. d. V. Id. Iun.) canens, Fast. VI 249 nominat:

Vesta, fave! Tibi nunc operata resolvimus ora,
Ad tua si nobis sacra venire licet!

Reliquorum deorum, qui medium inter maiores et minores locum obtinent, invocationes singulares inveniuntur. Palis et Carmentae iam supra citavi, Palis Verg. Geor. III 1 et 294; Cul. 20; Carmentae Ov. Fast. I 465. — Fortunam adloquitur Manilius, ut faveat, Astr. I 111 sq.:

Hoc mihi surgit opus, non ullis ante sacratum
Carminibus: faveat magno Fortuna labori!

Floram deam Floralia decribens Ovidius vocat Fast. V 191:

Ipsa doce, quae sis!

Aeque atque ib. I 93 Ianum pro Ianuarii mensis nomine compellat. —

Ex inferioribus diis parvus tantum numerus a vatibus exoratur, ut carminibus faveant scribentesque adiuvent. Romam deam Propertius vocat, IV 1. 67:

Roma, fave! Tibi surgit opus! Date candida, cives,
Omina et inceptis dextera cantet avis!
Sacra diesque canam et cognomina prisca locorum

e. q. s. Num Callimachi Aetia ante oculos habuit? — Tisiphonen, unam ex Furiis, auctor incertus carminum Anth. Lat. nr. 201 (Baehr. P. L. M. IV) adit:

Pallida Tisiphone, fecundum concute pectus!

Terram et »Maiestatem herbarum« deas habemus in precationibus illis, quas in Baehr. P. L. M. I pag. 137 invenies. In carmine priore poeta primum adorat Terram, quasi reginam divorum; tum eius numen invocat quaeritque, ut ipsum exaudiat et coeptis faveat v. 23:

Exaudi me, quaeso, et fave coeptis meis!

Scilicet ut plantas omnes iuste digneque canat. — Carmine altero eandem ob rem poeta »Maiestatem herbarum« adit v. 8:

Huc huc adeste vestris cum virtutibus,[1])
Quia quae creavit, ipsa permisit mihi,
Ut colligam vos e. q. s.

Baehrensius cum non infimis Latinitatis temporibus orta esse ea carmina putet, certe fallitur. Ut enim alia omittamus, quis umquam ausus est priore aevo et meliore »Maiestatem herbarum« quasi deam numinis loco invocare?

Priusquam deorum numerum linquamus, unum locum de heroibus citabimus[2]). Heroas enim Catullus pro carminum materia compellat carmine 64. Praedicata felicitate temporum, quibus dii nondum hominum consuetudinem descipiebant, heroas adit »nimis optato saeclorum tempore natos« atque ut propitii sint orat:

Vos ego saepe meo, vos carmine compellabo.

Quod hoc versu poeta promisit, fatum, ne exsequeretur, vetuit. Riesius non male Theocriti versum citat I 145:

ὦ χαίρετε πολλάκι, Μοῖσαι,
Χαίρετ᾿· ἐγὼ δ᾿ ὔμμιν καὶ ἐς ὕστερον ἅδιον ᾀσῶ!

IV.

Iam restat, ut de iis vatum numinibus loquamur, a quibus, quamquam in deorum numerum numerandi non sunt, poetae carmina auspicari nonnumquam solent. Pius mos ac pulcher est Manes magnorum priscorum poetarum auxilium rogare, Homerorum Pindarorum Callimachorum. Namque eorum Manes apud inferos in Elysio, ut aiunt, beatissima vita fruuntur nec dubitandum est, quin auctoritate illic in homines non carentes cogitati sint, sed Geniorum Lariumve modo propitii adsint petentibus[3]). Per Alexandrinos inventus ab Ennio in Romanorum

---

1) »Huc huc« Baehr., »huc.« codd. — »vestris cum« ego; »cum vestris« codd.

2) vid. Welckeri, Griech. Götterlehre III p. 274: »Heroisirung historischer Personen«.

3) cf. Hertzberg ad Prop III 1. init.

litteras Homerus ut patronus vatum inductus est. Scholiasta enim ad Persii prologum, quo dicit poeta non ex Parnasso se poeticum spiritum petere, a Persio Ennium tangi adnotat, qui dixerit sibi somnianti in Parnasso Homerum aperuisse, ipsius animam in Ennii corpore esse, ad quem locum frgm. 4 et 5 (Baehr. F. P. R. p. 59) spectare videntur. Eandem rem commemorant Cic. Som. Scip. 1; Lucr. I 111; Fronto p. 11 (ed. Naber). Inde Ovidius Homerum invocat Fast. II 119[1]):

Nunc mihi mille sonos, quoque est memoratus Achilles,
Vellem, Maeonide, pectus inesse tuum,
Dum canimus sacras alterno pectine nonas,
Maximus hic fastis accumulatur honos.
Deficit ingenium e. q. s.

Callimachum et Philetam Propertius vocat III 1. init:

Callimachi Manes et Coi sacra Philetae,
In vestrum, quaeso, me sinite ire nemus!

Callimachum ipsum ex divino genere ortum esse ubique credebatur, cum Battus proavus, qui Cyrenam condidit, apud cives divinis honoribus honoraretur (cf. Catulli c. 7. 6. Apud Pindarum Pyth. V 128 est ἥρως λαοσεβής). De »sacris Philetae« autem lites inter viros doctos ortae sunt, quid significent; recte mihi Hertzbergius interpretatus esse videtur, qui pag. 245 l. l. »neve, inquit, quod hic mutatum (sacra Philetae) iuxta proprium (Callimachi Manes) positum esse offendaris«. — Pindarum talibus honoribus Statius afficit, ut ipsum quasi deum tutelarem pro carmine exoret, Silv. IV 7. 5:

Tuque, regnator lyricae cohortis,
Da novi paulum mihi iura plectri,
Si tuas cantu Latio sacravi,
Pindare, Thebas.

Cuius usus quae sit causa, non difficile est ad eruendum; nam vates illi, ut qui divino instinctu impleti essent, iam priscis temporibus divino quasi honore afficiebantur nec mirum esse potest eos imprimis de sua arte hominibus petentibus largiter tribuentes cogitari.

---

1) cf. Euphorionis frgm. 62 in Meinekii Anal. Alex. pag. 104.

Idem Statius patrem suum compellat, in epicedio Silv. V 3, ut carmina de Elysio fonte ipsius lyrae praebeat:

Ipse malas vires et lamentabile carmen
Elysio de fonte mihi pulsumque sinistrae
Da, genitor perdocte, lyrae!

Pater autem, ut v. 235 legitur, cantus stimulabat viasque Pierias poetae monstrabat.

Sed hac in consuetudine, quae per Graecorum poetas sancita erat, non substiterunt Romani. Cum enim Caesar inter deos relatus esset eiusque genius a populo Romano velut deus honoraretur, quid mirum, quod et deorum muneribus eum, quantum quidem ad Quirites adiuvandos pertinent, fungi putabant, et, ut opem ferret, invocabant? Notissima res est eo ex tempore imperatores ut divorum filios iam vivos iisdem honoribus ac Caesarem mortuum affectos atque iisdem vocibus ac deos appellatos esse. Exstat de hac re dissertatio Regimontana »De appellationibus Caesarum honorificis et adulatoriis usque ad Hadriani aetatem apud scriptores Romanos obviis«, quam conscripsit A. Finkius anno 1867. At qui historia Caesarum primi p. C. n. saeculi satis imbutus est, perfacile intelleget ingentem multitudinem adulatorum mox hoc more ita abusos esse, ut solum ac summum deum imperatorem venerarentur. Nostrum est eos potissimum locos afferre, quibus Caesares, sive vivi sive defuncti, Apollinis Musarumque partes gerant.

Initium, ut dictum est, hic usus a Caesaris temporibus cepit ac partim ex Geniorum Lariumque cultu vetustissimo, partim ex Veneris Genetricis exortus esse videtur, parentis illius divinae cum populi Romani tum gentis Iuliae primorumque Caesarum, ita ut Iulius Caesar alter parens populi Romani praedicaretur. At de illo ipso locus apud poetas, quo numen poeseos compellatus sit, non exstat. Octavianus autem, quamquam a Romanis divinis honoribus se coli vetuit, impedire tamen non potuit, quominus Apollinis vel Iovis muneribus fungi eum poetae fingerent. Invocat eum primus Vergilius, Ge. I 24 sqq; diis omnibus, qui quidem ad agriculturam spectant, nominatis Caesarem adit atque ex eo, quoniam sine dubio deorum in concilia quondam recipietur, petit v. 40:

Da facilem cursum atque audacibus adnue coeptis
Ignarosque viae mecum miseratus agrestis
Ingredere, et votis iam nunc adsuesce vocari!

Legit autem carmen Vergilius Augusto »reverso post Actiacam victoriam atque Atellae reficiendarum faucium causa commoranti per continuum quadriduum, suspiciente Maecenate legendi vicem, quotiens interpellaretur ipsa vocis offensione«, ut ait Donatus p. 61 (v. Ribbeckii prolegomena in Vergilium pag. XXXIV.), aestate anni u. c. 725. — Horatius, quamquam secundas Augusto post Iovem sedes tribuit, non eum tutelarem deum pro cantu invocat. Neque adeo Propertius, qui eum, quamvis plane cum Iove adaequet, in auxilium rogare spernit. — Manilius an vivum Augustum an defunctum ac divum compellaverit, adhuc dubium esse videtur, quantum ego quidem ex Freieri dissertatione, quae inscribitur: »De Manilii aetate« (Goettingiae 1880) cognoscere potui. Memorabilem sane locum eius Astronomica occupant. Quamvis enim et libro II et III et V expressis verbis pronuntiet se suas vias adire ac per proprias vires cuncta canenda esse (V 227), negetque se rem suam poetarum more ornare (III 39), ne furtum sed opus proveniat (II init.), non dubitat et tertio libro Pierides invocare, ut per inaccessos saltus vatem perducant, et l. I. Caesarem Augustum nominare, qui animum sibi det:

(Caesar patriae princepsque paterque)
Das animum viresque facis ad tanta canendum!

Sed omnes aequales in laudando Augusto ab Ovidio longe superari inter omnes constat, et ex Finckii dissertatione luculenter apparet. Utque supra eum quemlibet deum de instinctu divino invocasse audimus, etiam hac in re primum locum inter omnes obtinere eum videbimus. Ac primum quidem habes Ar. am. I 203:

Marsque pater Caesarque pater date numen eunti:
Nam deus e vobis alter es, alter eris.
Auguror, en, vinces; votivaque carmina reddam,
E magno nobis ore sonandus eris.
Consistes aciemque meis hortabere verbis.

Pleni sunt porro Tristium libri adulationum Augusti, quibus id eum consequi voluisse manifestum est, ut Romam redire ipsi liceret. Itaque inter alia, quae videas apud Finckium, compellat imperatorem III 1, 77:

Di precor, atque adeo — neque enim mihi turba roganda est —
Caesar, ades voto, maxime dive, meo!

Fastos autem Ovidius a Caesare Germanico (retractatione ut opinor confecta) inaugurat. Ex eo enim petit, ut pacato, i. e. benigno vultu opus excipiat et timidae navis iter dirigat. Perfecta adulatione utitur v. 17:

Da mihi te placidum, dederis in carmina viris,
Ingenium vultu statque caditque tuo!

Atque in fine exordii v. 25:

Si licet et fas est, vates rege vatis habenas,
Auspicio felix totus ut annus eat.

Vates nempe ipse Germanicus fuit, quem Arati Phaenomena Latine cecinisse credunt. Eundem operis patronum inducit Ovidius ib. VI 247:

Hoc quoque, dux operis, moneas precor!

E ceterorum imperatorum locis nomino primum quamvis non poeticum locum Valerii Maximi ex initio memorabilium factorum et dictorum: »Si prisci oratores ab Iove O. M. bene orsi sunt, si excellentissimi vates a numine aliquo principia traxerunt, mea parvitas eo iustius ad favorem tuum decucurrit«. Intellegit T i b e r i u m. — N e r o n e m Apollini adaequat Seneca Apocol. IV 1, 22:

Ille (Nero) mihi (Apollini) similis voltu similisque decore,
Nec cantu nec voce minor.

Talem Roma Neronem aspiciebat. Lucanum vero istos, de quibus dicimus, ornatus poeticos non nimis adamasse moneo, neque adhuc usquam nobis Pharsaliam citare licuit; suum habet ille genus dicendi, quamvis non minus poeticum. Attamen non omnino liber est moribus illorum adulatorum, de quibus modo diximus. Nam uno loco etiam noster suam poesin sub Neronis clientela esse iudicat atque eum pro carminis materia quasi deum invocat, Phars. I 63:

Sed mihi iam numen; nec, si te pectore vates
Accipiam, Cirrhaea velim secreta moventem
Sollicitare deum Bacchumque avertere Nysa:
Tu satis ad dandas Romana in carmina vires.

Primo versu post numen animo adiciendum est: tu es, Caesar. Praeter hunc locum invocatio numinis in Lucani carmine nulla exstat.

Proximum locum nomino Calpurnii ecl. IV 82:

Ab Iove principium, si quis canat aethera, sumat,
Si quis Atlantiaci pondus molitur Olympi;
At mihi, qui nostras praesenti numine terras
Perpetuamque regit iuvenili robore pacem,
Laetus et augusto felix adrideat ore rell.,

quod idem alterno cantu alter pastor ab eodem Caesare quasi ab Apolline petit:

Me quoque facundo comitatus Apolline Caesar
Respiciat e. q. s.[1])

Domitiani autem aetate uberius apellationes adulatoriae adhibentur atque eius aetatis poetae ceteros omnes impudentia superasse videntur, Statius imprimis et Martialis. Locos, quibus imperator invocatur tamquam Apollo sit Musagetes carminisque auctor, exhibet Finckius pag. 38. Sunt Stat. Silv. V 1. 14:

modo dexter Apollo
Quique venit iuncto mihi semper Apolline Caesar
Adnuat rell.

Stat. Ach. I 14-18:

At tu quem longe primum stupet Itala virtus
Graiaque, cui geminae florent vatumque ducumque
Certatim laurus, olim dolet altera vinci,
Da veniam ac trepidum patere hoc sudare parumper
Pulvere; e. q. s.

---

1) cf. carmen prius Bucolicorum Einsidlensium, quae supra laudata sunt (Baehr. P. L. M. III p. 60), quo Nero cum Homero, ni fallimur, adaequatur, cum adeo arte poetica excelleret, ut Mantua, quae Vergilios procreavit, maesto vultu suas cartas deleret.

Haec quidem hactenus. Restat, ut in fine huius commentationis partis nonnullos locos singulares adferam, quos habent et Propertius et Statius et auctor Culicis, et qui non praetereundi sunt. Propertius enim foedum Cynthiae iter describens ad Iunonis festa, cuius »causa vero magis Venus erat«, quod per viam Appiam fecit, nobilissimam illam viam, quae tot insignes clarissimorum virorum triumphos viderat, adit, ut sibi de illius »triumpho« inspiret c. IV 8, 17:

Appia, dic quaeso, quantum te teste triumphum
Egerit effusis per tua saxa rotis.

Quis alius poeta tale aliquid ausus est? Iocus sane et ironia est.

Alter locus est Statii Silv. I 4, 22, quem Finckius iniuria ad Domitianum imperatorem refert. Dicit poeta:

Ipse veni viresque novas animumque ministra,
Qui caneris e. q. s.

Canitur autem Rutilius quidam, unus ex Statii familiaribus, de quo v. 34 legimus:

nec tu, quando tibi, Gallice, maius
Eloquium, fandique opibus sublimis abundas,
Sperne coli tenuiore lyra.

Ab ipso Rutilio Gallico igitur, quem celebraturus est, ut animum det, poeta petit atque v. 31 eundem hominem cum Cerere et Baccho adaequat. Usque eo adulationum impudicitiae pervenerunt Romani! Conferatur de hoc loco Ruedigeri dissertatio: »Quibuscum viris fuerit Statio poetae usus consuetudo familiaritas« (Marpurgi 1887). Errat autem auctor cum dicat pag. 18 nullum praeterea exstare exemplum, quo demonstretur privatum hominem divinis honoribus coli. Id tantum certum esse arbitror in eiusmodi hominem a nullo, quantum scio, poeta munus illud, quod Musas atque Apollinem decet, delatum esse. Alius generis enim ille Octavius est, qui initio Culicis compellatur (v. 24):

Et tu, cui meritis oritur fiducia tantis,
Octavi venerande, meis adlabere coeptis
Sancte puer; tibi namque rell.

Inquirere, quis ille sit, concedo opinioni doctiorum virorum. Octavianum hac voce nominari veri dissimillimum. Ceterum

locos simillimos, praecipue Ovidianos, quibus homines vivi ac privati divinis honoribus afficiuntur, nec vero ut vatum numina invocantur, Finckius pag. 18 affert.

Statius praeterea nonnullos alios locos singulares praebet. Silv. I 6 Phoebum et Musas et Minervam dimittit, quae vatum numina posterioribus temporibus in carminis usum se revocaturum esse pollicetur; contra Saturnum, versuum Saturniorum deum, et Genium mensis Decembris et Iocum et »protervos Sales«[1]) adit, ut sibi faveant:

Saturnus mihi compede exsoluta,
Et multo gravidus mero December,
Et ridens Iocus et Sales protervi
Adsint, dum refero diem beatam
Laeti Caesaris ebriamque noctem!

---

1) cf. Sulpiciae Sat. v. 9; Nemes. Cyn. 95.

Pars altera.

Quibus carminum locis quibusque verborum formulis usi sint poetae Romani deos pro carminibus invocantes.

Cum ad alteram huius libelli partem, quae est formalis, animos advertamus, id nobis propositum est, ut primum quaeramus, quibusnam carminum locis poetae numina invocare soleant, deinde quibus formulis usi in clientelam deorum se dederint atque ab iis carmina auspicati sint. Accedunt nonnulla alia, excursus, ubi versari sua numina vates existimaverint, inquirens, et tabulae, quae doceant invocationum apud unum quemque poetam frequentiam, denique index omnium, quibus invocationes inveniuntur, locorum.

I.

Atque ad priorem quam diximus quaestionem ut progrediamur, Quintilianus materiae dispositionem proposuisse nobis videtur, qui initio libri IV haec praebet: »Quodsi nemo miratur poetas maximos saepe fecisse, ut non solum initiis operum suorum Musas invocarent, sed provecti quoque longius, cum ad aliquem graviorem venissent locum, repeterent vota et velut nova precatione uterentur: mihi quoque profecto poterit ignosci, si, quod initio, quo primum hanc materiam inchoavi, non feceram, nunc omnes in auxilium . . . . deos invocem« (cf. Quint. X 1, 48). Hunc igitur secuti rem ita disponamus, ut primum de initiis carminum agamus, deinde

de aliis carminum locis, imprimis singularum partium nitiis [1]).

In priore quam diximus quaestione secernenda sunt ante omnia carmina minora, quae sunt lyricae et melicae poeseos, a maioribus, quae sunt epicae et didacticae. Magnum enim inter utrumque interest: cum certa quaedam in hoc genere lex constare videatur, ut plerumque initio et in graviorum capitum initiis invocationes adhibeantur, in illo magis ad liberam voluntatem, ut poetae auctoritas fert, sparsas eas invenimus neque ab eorum locorum numero, quibus initio carminum precationem invenimus, multum superari arbitror numerum locorum eorum, quibus aliquo alio loco sub clientela Musarum deorumve carmina iudicantur.

Quod quam recte dictum sit exempla docent. Catullus quidem, ut a minoribus carminibus et lyricis incipiamus, epithalamium ad Viniam et Manlium ab Hymenaeo auspicatur (c. 61 initio) atque eum tutelarem carminis deum petit. Tibullus initio carminis cuiusdam (II 5) Phoebum adit, ut ipsi carmen, quod in eius laudem facturus sit, moveat. Non aliter Horatius multis locis, ut in carminis saecularis initio Apollinem et Dianam compellat, vel III 4 Calliopen, III 11 Mercurium, ut faveant; nec Statius, qui initio IV 7 et V 3 Silvarum e numinibus, ut novas carminum vias dirigant, petit. Singularis est locus epistularum Horatii I 8, quo Musae mandatum dat, ut ipsius vota Celso amico referat:

Celso gaudere et bene rem gerere Albinovano,
Musa rogata, refer!

Ceterum natura fert, ut in hoc poeseos genere numinum invocationes locum non habeant.

Aequa ratione poetae bucolici et ipsi tota carmina a diis inaugurant, ut Vergilius ecl. IV 1:

Sicelides Musae, paula maiora canamus!

---

1) Respicienda sunt ea tantum carmina, quae bonum fatum sine defectu nobis servavit; e parvis enim fragmentis, quamvis invocationem contineant, non nisi rarissime concludi poterit, quo carminis loco ea legebatur.

et in iisdem pastores cantus suos suis a numinibus incipiunt. Ita Vergilii pastores ecl. III 60:

Damoetas:

Ab Jove principium, Musae, Jovis omnia plena,
Ille colit terras, illi mea carmina curae!

Menalcas:

Et me Phoebus amat; Phoebo sua semper apud me
Munera sunt lauri et suave rubens hyacinthus.

Sequitur cantus amoebaeus. Alii loci: Verg. ecl. VII 21, X 1; Calp. ecl. IV 82; Carm. buc. Einsidl. (Baehr. P. L. M. III, p. 60) I 22; Nemes. ecl. II. 20.

Adnumero huic seriei nonnulla carmina, quorum ipsa invocatio argumentum est, ita ut per omnes versus deum quendam compellent atque etiam, ut propitius carminibus sit, petant. Sunt carmina Horatiana I 26 et IV 3, quibus Musam, IV 6, quo Phoebum patronum poeseos praedicat. Adnotandum est in quarto carminum libro praeter haec quae modo laudavi carmina, nullum locum, qui ad nostram rem spectet, inveniri.

Satirae medium fortasse locum inter minora carmina et maiora obtinent, itaque de hoc genere, quid mihi videatur, nunc dicam. Quorum carminum comica indoles fert, ut precationibus plerumque egeant; accedit, quod ea, quam nos habemus, forma Romanis genuina atque ex ipsorum ingenio nata sit, ita ut, praesertim cum Graecorum exempla, quae summae apud Romanos auctoritatis erant, deficiant, mirandum non sit in satiris graecanicas deorum invocationes admodum raro nos invenire; cum autem adsunt, non raro ironice versus dictus est. Persius in epilogo quamlibet Musam iocans dimittit:

Heliconiadasque pallidamque Pirenen
Illis relinquo, quorum imagines lambunt
Hederae sequaces, ipse semipaganus
Ad sacra vatum carmen affero nostrum.

Horatius unum locum exhibet I 5. 53, quo parodia usus epicum fere sermonem profert:

Musa, velim memores[1]).

Non aliter Iuvenalis ioci causa Sat. IV 34:

Incipe, Calliope, licet et considere; non est
Cantandum, res vera agitur; narrate, puellae
Pierides: prosit mihi vos dixisse puellas.

Singulos igitur unus quisque poeta locos habet, qui numerus pro multitudine satirarum non praebet proportionem.

Sulpicia poetria in »Satira« quae fertur hunc usum satiricum neglegens, aliorum carminum modum secuta est, cum Musam et initio et in fine compellet (vid. supra pag. 12).

Minora carmina linquentes ut ad maiora procedamus, transitum nobis praemonstrant Propertii libri, de quibus adhuc sub iudice lis est, et Ovidii Amores. Quorum quamquam singula carmina inter minora numeranda sunt, tamen libri ipsi ab auctoribus quasi totum iudicabantur, id quod re ipsa, de qua loquimur, probatur.

Inter multos constat inde a Lachmanni temporibus eum, qui in codicibus manu scriptis liber alter Propertii est, in duas distrahi partes vel libros esse necessarium (c. 1—9, et 10—34), ita ut eo ex tempore quinque plerumque libri numerati sint. Nitebatur Lachmannus, ut notum est, imprimis in versu II 13, 25 et in carmine II 10. At Birtius luculenter ex codicum inscriptionibus numerisque versuum solitum modum valde neglegentibus comprobavit non tam esse quinque libros unius operis quam duo Propertii opera, quorum alterum »monobiblos« idem est ac Lachmanni liber I, alterum »tetrabiblos« libros II—V Lachmanni continet (Birtii Das antike Buchwesen pag. 413 sqq.). Meum autem non est longius de hac re disserere; id quod prolaturus sum ex nostris de invocationibus deorum quaestionibus necessario sequitur, atque gaudeo novum

---

1) Ita iam Hipponax, corp. poes. Graecae ludibundae ed. Brandt I, p. 35; contra Archestratus ibidem p. 140 invocasse non videtur. Sophistas pro Musis invocat Timon ibid. II (p. 89). De initio Batrachom. vid. infra.

argumentum, ni fallor, illis dilectissimi magistri quaestionibus addere me posse [1]).

Hae sunt invocationes Propertianae:

liber I (monobiblos): vacat.

liber II initio: vacat (quantum hodie habemus).

liber II 10:

Sed tempus lustrare aliis Helicona choreis,
Nunc aliam citharam me mea Musa docet!
Surge, anima, ex humili iam carmine. Sumite vires,
Pierides; magni nunc erit oris opus.

Habet carmen versus viginti sex, et invocatio in medio fere posita est.

liber III 1: Callimachi et Philetae Manes invocat, ut in idem, quo illi, nemus ipsum ire sinant; v. 19 autem est:

Mollia, Pegasides, vestro date serta poetae,
Non faciet capiti dura corona meo.

---

1) In excursu pauca mihi adicere liceat. E. Reischius, qui novissimus de Propertii librorum chronologia in studiorum Vindobonensium tom. IX (1887) pag. 94 scripsit, iniuria eo offenditur, quod, cum nonnullis locis Propertius de suis »libris« loquatur, c. II v. 13 tres »libellos«, quos Proserpinae adportaturus est, nominet; inspiciat ille carminis III 7 v. 43, quo loco Callimachi libri, quibus ipsius Propertii simillimi sunt, libelli vocantur, et eiusdem libri carminis 2 v. 19, quo suos ipsius libros poeta libellos vocat. Fallit ergo Reischius, cum dicat pag. 95 nonnisi de »libris« suis loqui Propertium. Cur vero carmen modo citatum III 7 »den Character eines Einleitungsgedichtes trägt« (pag. 97), id quod Reischius carmini II 10 abiudicat, non intellego; nec magis concludere licet ex transitionis forma primi c. II 10 distichi, quae est »Sed tempus« rell., in eodem libro antecessisse plura alius generis carmina. Nonne idem probare possent versus III 1. 3 sqq.? (cf. Verg. Ge. II fin.).

Quod vero vir ille doctus Horatii libros simile esse putat, claudicat comparatio; nam ex eo quod Epodon librum Marius Victorinus et Diomedes grammatici quintum librum »qui epodon inscribitur« vocant, non sequitur aliquo tempore Horatii libros a I usque ad X numeratos esse (pag. 100), sed illos philologos (aeque atque Charisium) suarum interpretationum causa, cum aptius esset, hac numeratione forte usos esse: liber, qui est quintus in serie Horatianorum; ideo expressis verbis addunt »qui epodon inscribitur«. Idem de »decimo libro«, i. e. arte poetica valet. Analogon haberemus, si epodae carminibus antecederent numerarenturque epodae: »liber I«, carmina lib. II—V. Cum autem epodae suam semper

Habet carmen versus quadraginta; medium distichum iterum Musarum invocationem habere vides [1]).

liber IV 1: nobilem laudat Romam, quam canere in animo habeat; v. 67 legitur:

Roma, fave! Tibi surgit opus!

Habet autem carmen centum et quinquaginta versus; tertium igitur accidit, ut mediam fere partem deae invocatio contineat.

liber IV 6, 11:

Musa, Palatini referemus Apollinis aedem,
Res est, Calliope, digna favore tuo!

Ad celebrandas quinquennales Apollinis ludos in memoriam victoriae Actiacae institutos compositam esse elegiam recte censent viri docti; sub finem Propertii vitae scriptam esse apparet. Invocatio autem in exordio legitur carminis octoginta sex versus continentis.

liber IV 8, 17:

Appia, dic quaeso, quantum te teste triumphum
Egerit rell,

quo de loco supra p. 47 actum est.

---

inscriptionem servassent neque umquam solo numero »lib. V« inscriberentur, exemplum pro Birtio, non contra eum est. Sed aliud exemplum Propertio simillimum Reischius omisit, dico Martialis libros. Usque ad nostra tempora plerumque putabatur duo nos opera Martialis habere: Monobiblon de spectaculis et Epigrammatum libros XIV. At hodie scimus epigrammatum libri XIII et XIV inscriptiones spurias esse, posteriore demum aevo adiectas, sed utrumque librum monobiblon ut illam in initio fuisse, quibus nomina »Xenia« et »Apophoreta« indita erant (vid. Friedlaenderi editionis Martialis tom. I, p. 17). Habemus igitur tres monobiblos, quae extra numerationem erant, et epigrammatum libros I–XII, et his duae e tribus monobiblis tempore posteriore per errorem virorum doctorum sub numeris XIII et XIV adiectae sunt. Tertia vero de spectaculis monobiblos, quae longe ante ceteros libros edita erat atque in collectionibus operum epigrammatibus antecedebat, ut numero ornaretur, ideo fieri non potuit, aeque atque in Propertio; ita ut semper ut monobiblos tradita esset. — Haec hactenus; reliqua Reischii ipso Birtii libro, cuius gloriae ille obtrectare studet, refelluntur.

1) Quod carmen in codicibus ab insequenti segregatum, coniunctum auctoritate Mureti et nostri temporis virorum doctorum, seiungendum esse cum alia tum haec cum c. II 10 et IV 1 analogia satis docet, ita ut traditam lectionem cur linquamus non videam causam.

Animadvertas haec: Quinque habes locos, eorumque duo novissimi modo citati nihil habent miri, nisi forte quod singulari versu IV 8, 17 poeta Appiam viam ut numen quoddam poetis sacrum compellat. Tres autem loci II 10, III 1, IV 1 magnam inter se praebent similitudinem, cum in una quaque elegia deus quidam versibus in media fere carminis parte positis invocetur, quod suis locis adnotavimus. E quibus duo carmina certum in initio librorum locum obtinent III 1 et IV 1; tertium inter secundi libri carmina invenitur. Atqui graves existunt causae, quas attulerunt et Lachmannus et nostris temporibus Birtius, cur a carmine II 10 novum, i. e. ex Lachmanni auctoritate tertium, ex Birtii alterum tetrabibli librum incipere verisimillimum sit. Quibus causis a viris illis doctis citatis novam, uti vides, adicere licet, ipsam quam dico compellationem Musarum, quae carmini initiali convenit; neque urgeo etiam hoc simile esse, quod in nostro carmine II 10 aeque atque in primis l. III et IV numinis invocatio medios versus occupat. In quarto autem demum libro saepius quam in solo carmine initiali Musas ille adlocutus est; id inde nimirum suum habet explicatum, quod cum libri antecedentes quasi *κύκλοι ἐλεγιακοὶ* sint uniformes, quartus liber diversi generis carminum collectio est neque cyclum efficit. Quae cum ita sint, nonne suo iure illos doctos coniectavisse arbitraris? — Denique apparet Propertium singulos carminum libros quasi singula opuscula iudicasse, cum unum quemque sub deorum clientela haberet.

Idque porro praeclare firmatur Ovidii comparatione, in cuius Amorum primo cuiusque libri carmine vota poetae repetuntur, ut Quintiliani verbis utar. Initio libri I et II Cupidinem vel Amorem compellat, libro III Elegiam, quae de principatu cum Tragoedia certat et victoriam reportat.

Quoniam hanc ad rem pervenimus, liceat mihi antecipatione usus de reliquorum poetarum usus frequentia brevi disserere.

Vetustioris aetatis poetae omnino rarius hoc ornatu utebantur, nam Lucretius exhibet duos tantum locos in 7393

versibus, Catullus[1] et Tibullus ternos in 2276 et 1934 versibus.

Vergilius aequaliter per eclogas sparsas septem compellationes praebet. Georgicorum autem quisque a suis tutelaribus diis liber incipit, quibus unus locus accedit, l. IV v. 315 (sicut apud Propertium). Mirum in modum artem mutavit Vergilius. Aeneidis enim cum duae partes sint aequabiles I—VI et VII—XII, priorem una invocatione initiali exornare sat habuit — nam VI 264 est locus singularis, quo aliquid ultra humanam possibilitatem requirit, ut ait Servius, atque etiam non Musam, sed inferos deos vocat — in altera quinque cumulavit, quae sex omnes ad Musas directae sunt. Itaque singulae invocationes l. I—VI respondent versibus 4000, l. VII—XII: 900[2]); in eclogis autem, cum in 829 versibus septem locos habeat, 118, in Georgicis quinque in 2188 versibus continentibus 437. Omnino, si omnes poetas aeque respicimus, singulae invocationes respondent versibus septingenis undeoctogenis 779.

Horatius in quattuor carminum libris, qui 3044 versus continent, undecim locos exhibet, ita ut in 276 versibus semel invocetur.

Apud Tibullum versibus 644, apud Propertium 796 singuli loci respondent.

Inter omnes poetas autem longe primum locum Ovidius obtinet, id quod iam supra nonnumquam monitum est. Amores exhibent locos quattuor, Ars amatoria tredecim, Remedia duo, Fasti viginti tres; ad genus fabulandi minus aptum putavit, cum Metamorphoses tres tantum contineant. Ea autem carmina, quae epistularum formam habent, dico Heroidas, Tristia, epistulas ex Ponto, deos ad componenda

---

1) Adnotandum est, cum in c. 61, 64, 68b tantum invocationes inveniamus, Catullum nonnisi severiora carmina, quae in »carminum libro« inerant, hoc modo ornasse videri, cuius reliquiis ea carmina adnumeranda sunt. cf. Birtii Buchwesen p. 412.

2) Respondet hic usus Odysseae et Iliadi, quas in illis libris imitatum eum esse constat.

carmina non compellant. Ita hanc tabulam de Ovidio habemus:

Singulae invocationes respondent

in Amoribus	(2460	versus) versibus	615
„ Arte am.	2330	„ „	180
„ Remediis	814	„ „	407
„ Fastis	4972	„ „	211
„ Metam.	11996	„ „	3998

Omnino autem Ovidius omnibus operibus aeque respectis singulas vocationes habet in versibus 723, omissis autem Tristibus, Heroidibus, epistulis ex Ponto, quae nullum, Metamorphosibus, quae tres locos habent, in v. 249.

Inde ab huius poetae temporibus invocationum numerus minuitur, cum Lucanus, Germanicus, Iuvenalis, Calpurnius singulos, Manilius duos, Valerius Flaccus et Silius Italicus quaternos locos habeant. Eadem parsimonia in Thebaide et Achilleide usus est Statius, cuius utrumque carmen singulum locum habet. Aliter in Silvis, quae cum Propertii libro ultimo comparari possunt; exhibent enim quinque libri 4085 versus continentes novem locos: quattuor in I, unum in IV, tres in V. Inveniuntur ergo singulae vocationes in 453 versibus. Qui numerus non nisi Nemesiani eclogis superatur, qui in 319 versibus bis deos nominat, i. e. semel in 157 versibus. Ceterum Nemesianus et Grattius in Cynegeticis singulas vocationes praebent, in versibus 325 et 540. Omnino, quam rectum illud quod diximus sit, ex his sequitur, quod singulae invocationes versibus respondent

apud	Valerium Flaccum	1398
„	Manilium	2129
„	Silium Italicum	3053
„	Iuvenalem	3654
„	Lucanum	7759

Quibus accedit

apud Statium:	Silvae	453
	Theb.	9643
	Ach.	1127
„ Calpurnium		379

apud Nemesianum, ecl.		160
„ „	Cyn.	325
„ Grattium Cyn.		540

Genus poeseos cum respicimus, superiorem locum carmina bucolica obtinent, cum plerumque in 200 versibus singulae invocationes inesse soleant.

Sequuntur carmina didactica, quae valde inter se discrepant: nam cum in Ovidii Arte amatoria singuli loci respondeant versibus 180, in Fastis 211, respondent in Vergilii Georgicis versibus 437, in Grattii Cynegeticis 540, in Manilii Astronomicis 2129, in Lucretii de rerum natura 3696.

Aequalem locum obtinent carmina minora, quae a medio numero (779) non multum discrepant; extremos fines significant Propertius, cuius in carminibus singula auditur vocatio in versibus 796, et Horatius, cuius in carminibus in versibus 276 singuli loci leguntur.

Quarto loco carmina epica ponenda sunt, quorum fines numeri significant Valerii Flacci 1398 et Statii Thebaidos 9643.

Summa parsimonia denique saturae et epistulae excellunt, de quibus iam supra locutus sum.

Haec hactenus. Iam in locorum inquisitione pergamus atque ad carmina maiora veniamus. Satis notum est ex Iliadis et Odysseae temporibus pium illum morem initio carminum clientelam deorum implorandi per universas antiquitatis litteras inveniri. Apud Romanos iam primis poeseos temporibus a diis carmina auspicabantur, velut iam Livius Andronicus Odusiam ab hisce versibus incepit:

Virum mihi, Camena, insece vorsutum.

Non aliter incertus auctor carminis de Priamo Camenas, ut adiuvent, adit, quem locum supra laudavimus (Baehr. Fr. P. R. pag. 52). Aurea ex poeseos aetate, quae vocatur, unum quemque fere qui scripsit epicum carmen vel didacticum laudare debebam. Lucretius de rerum natura libros, Vergilius Georgica, Aeneidem, Ovidius Metamorphoses, Fastos, Artem amatoriam, Remedia, Lucanus Pharsaliam, Manilius Astronomica, Grattius

et Nemesianus Cynegetica, Serenus Sammonicus librum medicinalem: omnes prorsus a Musarum precatione vel deorum, Veneris, Apollinis, Dianae aliorum exordium capiunt ac petunt, ut propitii atque aequi carmini intersint, coeptis adlabantur, carmina moveant, iter poetae dirigant. Longum sane est omnes, qui huc spectent, locos verbotenus adferre. Nota Servii ad Aen. I 8 hoc loco non omittenda est, qui scribit: »Sane observandum est, ut non in omnibus carminibus numen aliquod invocetur, nisi cum aliquid ultra humanam possibilitatem requirimus; hinc in Arte poetica Horatius 191: Nec deus intersit, nisi dignus vindice nodus inciderit«. De carminibus epicis paene recte Servius iudicavit; nam Lucanus in Pharsalia et Silius in Punicis, quorum utroque humana facta narrantur, magis parci sunt quam Vergilius in Aeneide vel Valerius Flaccus in Argonauticis, quae de deorum factis agunt. Sed quid magnum Romani pro incredibili paene superstitione non auxilio cuiuslibet dei factum esse credebant?

Provehamur longius atque in carminum *partes graviores* animos advertamus. Ante omnia huc referenda sunt carmina *didactica*, quae ipsa natura in plures partes plerumque divisa sunt [1]). Cum autem antiquorum voluminum magnitudo causa sit, cur una quaeque operis pars plerumque uno volumine vel libro absolvi possit, mirationi nobis non esse debet, quod maior invocationum pars initio librorum reperitur. Sed etiam medium in librum capita maiora incidere potuisse Servius docet, qui ad Aen. VII 37 adnolat: »Hinc est sequentis operis initium, ante dicta *enim ex superioribus pendent*«. Sed rariores eius modi loci. Georgica Vergilii ex quinque, quas omnino habent, invocationibus quattuor initio quattuor partium exhibent, quae leguntur initio libri I, II, III, IV (contra Columella, qui decimo libro rei rusticae Vergilium imitatus est, invocationem omisit). Non aliter Ovidius Fastorum libros, quibus singuli menses describuntur, ab uno quoque numine auspicatur, cui mensis sacer est, ab Jano vel Marte vel Venere vel alio. Totum opus autem poeta a Caesare Germanico inchoat. Lucretius, ut qui magis se abstineat ab hoc usu,

1) vid. Birtii »Buchwesen« pag. 134 sq.

ultimam tantum partem, quae post prooemium libri VI incipit a v. 92, a Calliope Musa inaugurat, ut viam praemonstret. Eandem rem habemus apud Vergilium Ge. III 284 sqq.; poeta, cum toto libro de pecore loquatur, hoc loco ab armentis in greges »lanigeros hirtasque capellas« sese convertens nova precatione Palem deam adit. Manilius tertiam Astronomicorum partem velut novum carmen inchoat [1]), III, init:

In nova surgentem maioraque viribus ausum,
Nec per inaccessos metuentem vadere saltus
Ducite, Pierides; vestros extendere fines
Conor et indictos in carmina ducere cantus!

Grattius et Nemesianus autem initio tantum carminum a diis auspicantur.

Non eodem modo atque in didactica etiam in e p i c a poesi vota renovantur. Nam continua factorum narratio distributionem materiae plures in partes rarissime admittit, nec nisi in gravioribus virorum factis Musarum auxilium implorando carmen interrumpi licet. Itaque iis in carminibus satis raro id quod quaerimus invenitur. In exordio alicuius libri Annalium, ni animus fallitur, versus Ennii positus fuisse videtur, frgm. 224 (Baehr. F. P. R.):

Insece, Musa, manu Romanorum induperator
Quod quisque in bello gessit cum rege Philippo.

Aeneidis alteram partem hisce verbis poeta inducit VII 37 sqq.

Nunc age qui reges, Erato, quae tempora rerum
Quis Latio antiquo fuerit status . . . .
. . . .
Expediam et primae revocabo exordia pugnae.
Tu vatem, tu, diva, mone!

Latii statu descripto ad bella Aeneae cum Italorum regibus gesta pergit eaque aequo modo a Musis inchoat VIII 641:

Pandite nunc Helicona, deae, cantusque movete,
Qui bello exciti reges e. q. s.

Non aliter X 163:

Pandite nunc Helicona, deae, cantusque movete,

---

1) cf. quae supra de Propertio dicta sunt. cf. Verg. ecl. IV 13.

Quae manus interea Tuscis comitetur ab oris
Aenean armetque rates pelagoque vehatur.

Praeterea Vergilius aliis locis deos nominat, cum in graviore aliqua re denuo carmen quasi surgit, ut singularis ille ac nobilis locus l. VI 264 docet, quo fauces Orci, in quibus Cura et Luctus et Egestas et Letum haerent, describuntur:

Di, quibus imperium est animarum, umbraeque silentes,
Et Chaos et Phlegethon, loca nocte tacentia late,
Sit mihi fas audita loqui, sit numine vestro
Pandere res alta terra et caligine mersas e. q. s.

vel IX 77:

Quis deus, o Musae, tam saeva incendia Teucri
Avertit?

ac similis locus IX 525.

Lucanus vero, ut iam supra monitum est, per proprias vires omnia canenda esse censet nec nisi initio numen vocat, ut propitium sibi sit. Etiam Ovidius in Metamorphosibus rarissime deorum compellatione utitur, cum continuus et inhaustus narrandi fluctus summum in carmine praebeat oblectamentum. Invenimus igitur tres in quindecim libris locos: I init., quo universos deos nominat, X 147, XV 622. Quocum conferas Ovidii Fastos, in partes innumerabiles fere distributos, quorum una quaeque haud raro, ut dictum est, a deorum precatione exorditur. — Largior est Silius Italicus, qui quater in Punicis deos adit, et quidem initio totius operis et initio l. XIV, in partibus gravioribus; illic enim pro universo opere precatur, hic habet:

Flectite nunc nostros, Heliconis numina, cantus
Ortygiae pelagus Siculique ad litoris urbes.
Muneris hic vestri labor est, modo Daunia regna
Aeneadum e. q. s.

Reliqui duo loci media in materia inveniuntur V 240 et XII 390. — Valerius Flaccus invocationibus unam quamque Argonauticorum partem ab alia seiungit; nam inveniuntur initio l. I, a quo versu descriptio diei festi et raptus velleris incipit, Phoebus, lib. III 15, a quo pugnae exoriuntur vellere aureo feliciter rapto, Clio:

Tu mihi nunc causas infandaque proelia, Clio,
Pande virum!

Atque a V 217 bella domestica Argonautarum incipiunt, quorum narratio hisce verbis inauguratur:

Incipe nunc cantus alios, dea, visaque vobis
Thessalici da bella ducis . . . .
Impia monstriferis surgunt iam proelia campis.

Quibus locis unus ex eodem carmine accedit, qui transitus vim habet, VI 515:

Quis tales obitus dederit, quis talia facta,
Dic age tuque feri reminiscere, Musa, furoris[1]).

Hanc transitionis vim non raro deorum compellationes habent. Vergilii Aeneidis locum IX 77 iam modo laudavi. Eiusdem poetae videas Georgica l. IV v. 315, quo versu ad describendam historiam, quomodo homines artem mel praeparandi invenerint, transit:

Quis deus hanc, Musae, quis nobis extudit artem?
Unde nova ingressus hominum experientia cepit?

Eadem est vis versus Fastorum II 359, quo Lupercalia ipsa a Pieridibus inaugurata describens ad causas eius cultus et unde nomen traxerit transitum hisce facit Ovidius:

Adde peregrinis causas, mea Musa, Latinas.

Nonnullis aliis locis autem hunc ornatum neglexit velut Fast. II 542; quo dicit: hunc morem Aeneas attulit, vel ibid. 584, quo legitur: Disce per antiquos quae mihi nota senes!

Ex aliorum qui restant locorum numero nonnulli adnotandi sunt, qui sine certa causa suis locis ex libera poetarum voluntate positi esse videntur. Huc numerandus est Propertii locus acerbus IV 8. 17, quo Appiam viam compellat. Aequo modo Vergilius ecl. IV 13, cum olim heroica carmina Apolline non probante se cecinisse dicat, Musam compellat, ad quam, agrestem sane et rusticam, nunc revertat; incipit ergo quasi medio in carmine novum his verbis: Pergite, (i. e. agite) Pierides! —

---

1) Sine dubio Apollonium Rhodium imitatus est, qui initio l. III et IV Musam vocabat, ubi nova capita narrationis inceperunt; nec librorum initiorum causa compellationes habemus, cum initio l. II desideremus. cf. Birtii Buchwesen pag. 144.

Horatius Sat. I 5. 53 Musam vocat, epicam dignitatem iocose imitatus:

Nunc mihi paucis
Sarmenti scurrae pugnam Messique Cicirri,
Musa, velim memores, et quo patre natus uterque
Contulerit lites [1]).

Denique in fine et singulorum carminum et universorum operum nonnumquam invenimus poetas Musas adiisse, ut carmini, quod scripserint, bonam fortunam comparent, vel ut et in futura tempora poetae faveant. Ab Alexandrinis, ut videtur, hic mos sancitus est; nam Theocriti c. IX in fine libri fuisse verisimillimum est, qua de causa maiora damna illud cepit [2]). Ex Romanis Vergilius in fine eclogarum libri vota in Musas renovat; obsecrata Arethusa, ut ipsum in hoc ultimo carmine faciendo adiuvet, Gallo amico carmen dedicat; v. 70 autem finem libri poeta facit ex Musis:

Haec sat erit, divae, vestrum cecinisse poetam
Dum sedet et gracili fiscellam texit hibisco,
Pierides.

Inde petit Vergilius, ut quae ipse minima in Galli sui honorem fecerit, ipsae sibi faciant. — Item Horatius carmen de Asinio Pollione (II 1) eiusdem generis verbis finivit, cum dicat v. 37:

Sed ne relictis, Musa procax, iocis
Ceae retractes munera neniae;
Mecum Dionaeo sub antro
Quaere modos leviore plectro,

i. e. quaere leviores iocosioresque cantus. Ovidius in fine Amorum valedicit Elegiarum Musae III 15 init:

Quaere novum vatem, tenerorum mater Amorum,
Raditur hic elegis ultima meta meis.

---

1) Theocritus, ut bonitatem vini describat, media in re Musas compellat c. VII 148:

Νύμφαι Κασταλίδες, Παρνάσιον αἶπος ἔχοισαι
Ἀρά γέ πα τοιόνδε Φόλω κατὰ λάινον ἄντρον
Κρατῆς Ἡρακλῆι γέρων ἐστήσατο χείρων;

Fabulam de Hercule tangit poeta; eam Musae noverunt, ideo eas vocat. Praeterea vinosi et elati animi documentum esse voluit.

2) v. Birtii Buchw. p. 397; Bion. I. fin.

Et v. 19:

Imbelles elegi, genialis Musa, valete
Post mea mansurum fato superstes opus!

Ultimus denique idemque pulcherrimus, ni fallor, locus cui non in memoria venit? dico Horatianum in fine libri tertii:

Sume superbiam
Quaesitam meritis et mihi Delphica
Lauro cinge volens, Melpomene, comam!

II.

Iam venimus ad alterum huius partis caput, quo de formulis, quibus poetae in invocandis diis plerumque usi sint, agemus. Priusquam autem ad hanc rem, ut rectius intellegamus, aggrediamur, non alienum esse arbitror, de ea re brevi quaerere, quibusnam locis vates deos suos versari imaginati sint.

Inde a Graecorum vatum temporibus poetae fingere solebant, quasi Musae ad se ipsos venirent docerentque quod scriberent; adsistebant dii animosque divino afflatu inspirabant. Itaque Batrachomyomachiae auctor sic incipit:

Ἀρχόμενος πρῶτον Μουσῶν χορὸν ἐξ Ἑλικῶνος
Ἐλθεῖν εἰς ἐμὸν ἦτορ ἐπεύχομαι εἵνεκ' ἀοιδῆς [1]).

Aequa certe cogitatio nobis in proverbio de Pericle obtingit: *Πειθὼ ἐπεκάθητο τοῖσι χείλεσιν* (Plin. ep. II 20. 17). Aristophanes Acharnicam Musam adit, ut ad se veniat, Ach. 665: *δεῦρ' ἐλθέ, Μοῦσα Ἀχαρνική*, ac Ran. 675 orat, ut ad sacrum

---

1) Homerides quidem de hac re nondum cogitasse videntur, cum numquam aliquid eius modi in deae vocationibus adhibeant. Habent *ἔννεπε, Μοῦσα, ἄρχεο, ἀείδεο, ὕμνει* alia, sed ubi illa versetur, non quaerunt. Musa enim nondum formam tam personalem nacta erat, ut quasi homo migrare posset. Batrachomyomachiae auctor igitur, qui ad Homeri consuetudinem carmen componere studebat, cum Musam ut *εἰς ἦτορ* veniat precetur, plane non curavit illos versus non ad Homeri tempora quadrare. Ceterum quas viri docti attulerunt causae de spurio epyllii initio, persuasionis vim non habent.

chorum eiusque cantum adveniat. Inde per totas posteriorum temporum litteras manavit, ut poetae Musas vel deum aliquem ad se arcesserent. Horatius Calliopen caelo descendere et secum heroa, quem destinavit, canere iubet (c. III 4, 1). Aeque auctor carminis in Riesii Anth. Lat. nr. 199, p. 140 de Musis canit:

Linquite Pierios colles et scribite mecum.

Propertius Musas ante suum torum, quo scripturus est, stantes fecit c. III 10, 1:

Mirabar, quidnam misissent mane Camenae
Ante meum stantes sole rubente torum!

Atque Lucretius Venerem sociam scribundis versibus cupit (de rer. nat. I 24). Catullus Hymenaeum deum c. 61 ad se arcessit, ut »tinnula voce« carmina concineret:

Huc huc veni!

Quocum loco conferas carmen prius illorum Einsidlensium (v. 36):

Huc huc, Pierides, volucri concedite saltu;

atque ex Anthol. Lat. carmen Octaviano Augusto tributum (Baehr. P. L. M. IV pag. 181) v. 35:

Huc huc Pierides date flumina cuncta, sorores!

(= Anth. Riesianae n. 672 v. 28); et illam precationem ad Maiestatem herbarum (Baehr. P. L. M. I p. 137)

Huc huc adeste vestris cum virtutibus [1])!

Vergilius exhibet Ge. II 7:

Huc pater, o Lenaee, veni . . . .
Tuque ades inceptumque una decurre laborem!

Ovidius Phoebum compellat, ut adsit coeptis (Rem. 704), ac pergit:

Phoebus adest, sonuere lyrae, sonuere pharetrae;

atque ait epistula I 5 ex Ponto, v. 11:

Non libet in talis animum contendere curas,
Nec venit ad duros Musa vocata Getas.

Quae cum ita sint, non est mirandum, quod colloquii forma poetae nonnumquam utebantur, quo id, quod scire volebant, iis dicebatur. Saepius iam Alexandrinorum temporibus hunc morem invenimus, praesertim cum poetae in Heliconem vel

---

1) cf. supra pag. 41.

antrum quoddam mente somniantes se viderent, qua de re infra agetur. Colloquium autem cum Musis in sua ipsorum, qua canebant, domo, si ita dicere licet, saepissime habemus apud Ovidium. Qui unum quemque deum ad sė arcessit atque cum eo de quibuslibet rebus colloquitur [1]). Ut exempla adferam, initio l. III Artis amatoriae cum Venere agit, quae eum incitat, ut etiam puellis, velut l. I et II viris, artem amoris canat, atque oratione finita legitur v. 53:

Dixit et e myrto (myrto nam vincta capillos
Constiterat) folium granaque pauca dedit.
Sensimus acceptis numen quoque e. q. s.

Atque Her. IV 13 de Amore:

Ille mihi primo dubitanti scribere dixit:
»Scribe! Dabit victas ferreus ille manus!«

Saepissime id reperitur in Fastis; ut unum e multis exemplum adferam, initio l. VI deinceps Iuno et Iuventus et Concordia originem Iunii mensis deducunt, ante eius torum quasi stantes velut apud Propertium. At poeta pro prudentia sua, ne neminem ex iis laedat, non inter eas diiudicans v. 99 dicit:

Ite pares a me, perierunt iudice formae
Pergama; plus laedunt, quam iuvet una, duae.

Singularem amoenitatem praebent versus Fast. V 375 sqq., quibus permultis rebus de Floralibus, unde originem ceperint, cur »versicolore cultu« dea veneretur, aliis ex ipsa Flora quaesitis, ipsa dea ante eius oculos in auras secessit:

Omnia finierat: tenues secessit in auras;
Mansit odor: posses scire fuisse deam.

Similes locos Petersius in editione Fastorum citat pag. 15.

Amatissimus, ut iam dictum est, Romanorum mos est, quem Callimachus invenisse videtur, cum a vetustissimi temporis vatibus, quantum egomet hucusque observavi, alienus sit, somniando Parnassum aut Heliconem aut quemvis alium Musarum locum quaerentem et visitantem se fingere, ut Musae

---

1) E Graecorum posterioris temporis poetis Oppianus initio Cynegeticorum alternum inter ipsum et Dianam cantum exhibet, quo petit, ut dea novam poeseos viam ingredientem adiuvet.

ipsae in locis ipsarum sacris poetam doceant. Iam Ennium hunc somnum imitatum esse constat, de quo Lucretius I 116 sq. et Cicero Somn. Scip. 1 et Fronto pag. 11 (Naber) loquuntur. Atque Homerus quidem ibi poesin eum docuisse videtur, ut auctor est Cicero et scholiasta ad Persium, qui ad huius epilogum adnotat: »Tangit Ennium, qui dicit se vidisse somniando in Parnasso Homerum sibi dicentem quod eius anima in suo esset corpore.« Propertius porro c. III 2 hisce incipit:

Visus eram molli recubans Heliconis in umbra,
. . . .
Cum me Castalia speculans ex arbore Phoebus
Sic ait, aurata nixus ad antra lyra e. q. s.

Atque etiam Horatius de eadem re cogitasse videtur c. I 12, 5. Errat autem Petersius in prolegomenis ad Ovidii Fastos, cum utrumque morem et Musas arcessendi et ad Musarum loca somno transgrediendi unam eandemque rem habeat; duas esse ii, quos citavi, loci docent.

Hinc etiam, ni fallimur, originem ceperunt loci ut in Vergilii cat. XI v. 61: »Camenas adire«, vel initium libri VI Fastorum, quo Ovidius Iunonis sacrum adit ibique, quod scire vult, quaerit.

Satis de hac re disputatum esse videtur, atque in ipsas deorum invocationes animus trahitur. Ac primum quidem Romanorum poetae, cum initio carminum epicorum precatione utuntur, valde a Graecis differunt, id quod iam Lessingius noster animadvertit[1]). Qui Horatii locum interpretatus (A. p. 136 sqq.), quamquam de iis, quae poeta illis versibus dicere vult, certe fallitur, recte vidit, cum exordium carminis epici ex propositione argumenti et ex invocatione numinis constet, Graecorum poetas duas illas res in unam inter se coniunxisse, ut Homeri illud: *Μῆνιν ἄειδε, θεά* vel in quolibet alio carmine, Romanorum eas plerumque distraxisse. Similem quodammodo adnotationem Servius ad exordium Aeneidis fecit, nec vero discernit inter Graecorum poetas et Romanorum: »In tres partes dividunt

---

1) v. recensionem exordii Messiadis Klopstockianae, quae est in epist. XV sqq., edit. Goschianae III p. 360.

poetae carmen suum: proponunt, invocant, narrant. Plerumque tamen duas res faciunt et ipsam propositionem miscent invocationi, quod in utroque opere Homerus fecit: . . . . Lucanus tamen ipsum ordinem pervertit; primum enim proposuit, inde narravit, postea invocavit.« — Exemplum usus graecanici exstat in priscis litteris Latinis, dico incerti auctoris carmen Priami (Baehr. Fr. P. R. p. 52):

Veterem, Casmenae, cascam rem volo profari
Et Priamum.

Atque etiam postea apud Statium illum Graecorum morem invenimus, ut invocatio et propositio inter se coniungantur, velut illud Achilleidos initium docet:

Magnanimum Aeaciden formidatamque Tonanti
Progeniem et patrio vetitam succedere caelo,
Diva, refer! e. q. s.

Similiter exordium Thebaidos canitur, quamquam expressis verbis Musae invocatio versu demum 41 sequitur.

Omnino autem posteriorum temporum vates aliam consuetudinem sequebantur, in epicis quidem carminibus. Vergilius initio Aeneidis primum nobiscum communicat, quidnam canere velit, ac tum v. 8 Musam adit, ut sibi faveat. Non aliter Lucanus, de quo iam Servius l. c. observavit:

Bella per Emathios plus quam civilia campos
Iusque datum sceleri canimus;

ac versu 63:

Sed mihi iam numen (sc. tu es, Caesar); nec si te pectore vates
Accipiam, Cirrhaea velim secreta moventem
Sollicitare deum, Bacchumque avertere Nysa:
Tu satis ad dandas Romana in carmina vires!

Silius Italicus Punica his verbis inchoat: »Ordior arma, quibus caelo se gloria tollit Aeneadum«, ac tum Musam vocat, ut recte bella illa ipsum canere donet. Aequa ratione res seiungit Valerius Flaccus, cuius initium Argonauticorum ita est:

Prima deum magnis canimus freta pervia natis,

tum versu 5: Phoebe, mone! e. q. s.

Eundem usum, quamquam rarissime, etiam in didactica poesi invenimus, velut initio Vergilii Georgicorum. At saepius hoc in genere et propositiones et invocationes inter se coniuguntur, ut Lucretii de rer. nat. l. I init. vel Grattii initium:

Dona cano divum, laetas venantibus artes
Auspicio, Diana, tuo [1])!

Quod vero ad locum illum Horatianum attinet, Art. p. 136:

Nec sic incipies, ut scriptor cyclicus olim:
'Fortunam Priami cantabo et nobile bellum'.
Quid dignum tanto feret hic promissor hiatu?
Parturient [2]) montes, nascetur ridiculus mus.
Quanto rectius hic, qui nil molitur inepte:
'Dic mihi, Musa, virum, captae post tempora Troiae
Qui mores hominum multorum vidit et urbes',

non illud monitum esse arbitror, ut a deo initium capere quivis poeta debeat, sed ut magniloquentiam vitet neve maiora promittantur, quam quae deinde praebeantur. Dilucida res est; an aliud sibi vult illud: Parturient montes? Nec dubitandum est, quin futurum esset, ut Horatius Statii Achilleida aeque ac poetae cyclici carmen vituperasset, quamvis a Musis initium capiat. Nec vero infacete Lessingius pro sua scribendi ratione, ut perperam illum Romanorum morem esse demonstret, adicit: »Es ist auch in der That besonders, mit einem stolzen Ich anzufangen, und alsdenn die Musen anzu-

---

1) E Graecorum poetis imperatorum Romanorum temporibus Oppianus hunc morem imitatus est, qui v. 22 l. I demum habet: *Ἵλαδι, πότνια δῖα.* Aliter initium lib. II Cynegeticorum:

Νῦν δ' ἄγε μοι, Ζηνὸς θύγατερ, καλλίσφυρε Φοίβη,
Πάρθενε χρυσομίτρη, δίδυμον γένος Ἀπόλλωνι
Εἰπέμεναι e. q. s.

Quaeritur, quisnam de Dianae manu venationis artes acceperit.

2) Futurum ex codd. auctoritate servandum esse puto contra Bentleium, nam causa cogitari non potest, cur codices optimi et plurimi futurum servent, nisi in archetypo contra usum solitum scriptum fuisset. Quoniam autem omnia verba, quae in — urio desinant, etiam in primo tempore futuri vim habeant, eo magis, si codices futurum exhibent, id servandum est.

rufen, nachdem man schon Alles auf die eigenen Hörner genommen hat. Das heisst anklopfen, nachdem man die Thür schon aufgemacht hat.«

Venimus ad invocationum formulas. Satis notum est Protagoram eam ob causam Homerum vituperasse, quod imperativo usus Musae praecepisset (ἄειδε), quod indecorum esset adversus deos. Singulare autem et contra opinionem hoc iudicium fuisse totius antiquitatis exempla docent, cum nulla invocationis forma saepius a poetis adhibeatur quam hic verbi modus (nisi, quod per se ipsum patet, haud raro pro imperativo coniunctivus scilicet adhortativus ponitur). Et principalem locum, ut iam apud Homerum, per omnes aetates imperativi »dic« et »dicite« obtinuerunt, ut mox videbis. Usitata deinde verba fuerunt: favere, donare, dare, adesse, pandere. Clarissime autem res patere mihi videtur, si deinceps enumero verba, quae maxime inveniuntur:

Dic et dicite: Ennii frg. 224; Livii Andron. fr. 1 (insece); Tib. III 1, 5; Prop. IV 8, 17; Verg. ecl. VIII 62; Aen. IX 77; Cat. XI 1; Hor. c. III 4, 1; III 11, 1; Ov. Fast. V 7; VI 798; Sulp. Sat. 12; Stat. Silv. V 5, 5; Luc. Phars. VI 515; Gratt. Cyn. 99; Nemes. ecl. II 20; Orestis. trag. 350.

Fave: Tib. II 5; Prop. IV 1, 67; Ov. Fast. III 167; ib. 714; IV 1; V 249. Manil. Astr. I 111.

Ades, Adeste: Ov. Ar. am. I 30; Fast. VI 652; Germanici Arat. init.; Stat. Silv. I 6, 7; Anthol. Lat. 151; Ser. Samm. l. med. init. — Favens adsis: Verg. Ge. I 18.

Pande, pandite: Verg. Aen. VII 641 = X 163; Ov. Fast. V 693; Met. XV 622; Luc. Phars. III 15; Ponticon praef. 1; Nemes. Cyn. 97; Anth. Lat. 201.

Da, date, donate: Hor. c. saec. 5; Verg. Ge. I 40; Ov. Fast. IV 191; Stat. Sil. IV 7 init.; V 3 init.; Sil. It. Pun. I 3; XII 390.

Mone: Verg. Aen. VII 37; Ov. Fast. IV 247; V 446; Luc. Phars. I 5.

Memora: Verg. Aen. I 8; Hor. Sat. I 5. 53.

carmen concedite: Verg. ecl. VII 21; X 1;
praecipe: Hor. c. I 24;
move: Ov. Met. X 147;
incipe: Luc. Phars. V 217;
submittite: Baehr. P. L. M. IV p. 259;
cantate: Tib. IV 2. 21;
narrate: Iuv. IV 34.
refer: Hor. ep. I 82; Calp. ecl. II 53.
ducite vatem: Manil. Astr. init.; Nem. Cyn. 97, Anth. Lat. 201.
dirige opus: Ov. Fast. I init.; VI 483.
praemonstra viam: Lucr. VI 92.
da cursum: Verg. Ge. I 40.
numen sis: Luc. Phars. init.
auctor sis: Germ. Phaen. init.
causam ede: Ov. Fast. I 93.
causas adde: Ov. Fast. II 359.
vultus advertite: Stat. Silv. I 5. 15.
adrideat: Calp. ecl. IV 82.
adnuat: Stat. Silv. V 1. 3.
adspirate: Verg. Aen. IX 525.
flectite: Sil. Ital. Pun. XIV init.
sumite vires: Prop. II 10, 10.
pergite = agite: Verg. ecl. VI 13.
exaudi me: Precatio Terrae 23.

Pro imperativo vel coniunctivo nonnumquam interrogationis forma adhibetur, ita ut poeta ex Musa quaerat, quis superorum nunc se adiuvet, vel quid nunc canere debeat, alia [1]). Ita Vergilius Aen. IX 77:

Quis deus, o Musae, tam saeva incendia Teucri
Avertit?

vel Ge. IV 315:

Quis deus hanc, Musae, quis nobis extudit artem?

Hor. carm. I 12:

Quem virum aut heroa lyra vel acri
Tibia sumis celebrare, Clio?

---

1) cf. Meleagri Stephanum, Anth. Pal. IV 1, 1.

Sil. Ital. Pun. V 420:

Quis deus, o Musae, paribus tot funera verbis
Evolvat?

Vergilii versum modo citatum hic certe in animo habebat.

Non raro pro invocatione id invenitur, ut poeta cum Musis, quod canere velit, communicet, qua in communicatione tamen auxilii precationem inesse per se patet. Ita Catullus carmen 68b incipit:

Non possum reticere, deae, qua me Allius in re
Iuverit e. q. s.

Atque Horatius pronuntiat tantum c. I 10 se Mercurium canere velle; attamen nemo dubitabit, quin et hoc loco Horatiano et illo Catulliano nominis vocatione invocatio dei contineatur. Aeque in bucolicis carminibus poetae Latini Graecos imitati nomine tantum vocant deos, omissa precatione. Iam Theocritus V 80 canebat:

Ταὶ Μοῦσαί με φιλεῦντι πολὺ πλέον ἢ τὸν ἄοιδον
Δάφνιν[1])

Atque ita Vergilius ecl. III 60:

Ab Iove principium, Musae:

et 62:

Et me Phoebus amat e. q. s.

quibuscum versibus conferas simillimum locum Calpurnii ecl. IV 82 sq. Vergilius in Georgicis pronuntiando se Palem deam et Apollinem canere velle ipsa hac forma in illorum deorum auxilium carmen dedicat, l. III init:

Te quoque, magna Pales, et te, memorande, canemus,
Pastor ab Amphryso, vos, silvae amnesque Lycaei.

Pastor ab Amphryso autem Apollo est, cuius boves ad illum Thessaliae fluvium vixisse traduntur. — Nonnumquam autem ultro sequitur invocatio nonnullis versibus intermissis. Velut Ge. II init. Vergilius dicit:

Nunc te, Bacche, canam

et v. 7 eundem adit, ut novum carmen dicere ipsi praebeat.

---

1) cf. inscriptionem, quae invenitur in vasculo Atheniensi in »Arch. Zeitung« XXXII tab. I, et quam Michaelis ita legit:

Μοῦσά μοι, ἀμφὶ Σκάμανδρον εὔρροον ἄρχομ' ἀείδειν.

Quodsi quaerimus, quidnam invocationes plerumque contineant, cum illud a diis petitum esse invenimus, ut in universum carmen propitii sint, tum illud, ut rem certam et unam, quam carmine celebraturus est poeta in memoriam eius ducant, ut recte facta canat. Eam vim habent invocationes initio Lucretii, Aeneidis, Georgicorum, aliorum. — Nonnumquam autem huic deorum precationi nova additur, qua, ut versus pulchritudine ac lepore ornentur, petunt. Ita Lucretius I 28 habet:

Quo magis aeternum da dictis, diva, leporem!

Atque Horatius a Phoebo c. IV 6, 29 et spiritum poeticum et artem deducit, quibus coniunctis bonus poetae efficiatur eventus magnaeque laudes. Tibullus II 15 eundem deum nominat, ut verba sua in ipsius laudes flectat, i. e. ut versuum pulchritudine carmen excellat, qua sibi laudem paret. Denique Vergilius divum Augustum (Ge. I 40) orat, ut facilem carmini cursum praebeat.

Finem huius rei cum faciamus, alius poetarum usus memorandus est, qui non raro in carminibus invenitur. Ut enim deos aequiores sibi faciant, vel ut causam, cur alium deum pro Musis invocent, adferant, haud raro accidit, ut nonnulla verba exspatiando invocationi adiciant, quibus haec vel eiusmodi contineantur. Ita Lucretius Venerem pro rerum naturae descriptione compellans ea de re hanc deam sociam scribundis versibus se cupere dicit, »quoniam per eam omne genus animantum concipiatur et quidquam dias in luminis oras exoriatur«. Vergilius etiam Musarum invocationi adicit: »non omnia possumus omnes« (ecl. VIII). Ovidius, cum universos deos initio Metamorphoseon vocet, adicit: »nam vos mutastis et illa«. Cur Erato idem pro Arte amatoria compellat? »Nam tu nomen Amoris habes« (A. a. II 15). Cur Phoebum pro Remediis? »Quoniam medicae opis repertor est« (Rem. 75). Ad Mercurium precibus Horatius convertitur, ut is sibi modos praecipiat, quibus obstinatas puellae aures applicet (c. III 11); causa, cur faciat, est:

nam te docilis magistro
Movit Amphion lapides canendo.

Cur Iuvenalis Calliopen, quae ei Musa est historiographiae, adeat, aperit IV 34:

Incipe, Calliope, licet et considere; non est
Cantandum, res vera agitur.

Vergilius (Aen. VII 641) hisce Musas adit:

Pandite nunc Helicona, deae cantusque movete
. . . . .
Et meministis enim, divae, et memorare potestis!

et similiter Ovidius Met. XV 622:

Pandite nunc, Musae, praesentia numina vatum —
(Scitis enim, nec vos fallit spatiosa vetustas) — e. q. s.

Manilius initio l. III Pierides precibus adit, ut per saltus adhuc inaccessos ipsum perducant: nam se non bella, non Priamum, non Thebarum excidium, non Punica, non Argonautica canere, sed numeros et ignota rerum nomina mundique casus se in animo habere; ea de causa propitiae Musae oculos sibi advertant. Valerius Flaccus denique l. III v. 15 canit:

Tu mihi nunc causas infandaque proelia, Clio,
Pande virum; tibi enim superum data virgo facultas
Nosse animos rerumque vias e. q. s.

Imprimis autem hac forma poetae utuntur, cum Caesares ut numina carminum invocare audeant; omnino hunc morem non tam solitum fuisse haec, quae loquimur, docent. Vergilius copiosis verbis Augustum adit, ut coeptis propitius adnuat (Ge. I init), quoniam mox deorum conciiia ut deus habiturus sit et a populo Romano divinis honoribus colatur; adsuescat igitur iam nunc votis vocari. Aeque Manilius, qui Augustum (Astr. I 10) ea de causa se compellare dicit, quod illi deo mundus concessus sit, itaque etiam sibi animum viresque facere possit. Inde a Neronis denique temporibus eo ventum est, ut etiam hoc omittere poetis liceret.

Tabula,

quae omnes e litteris Romanis locos collectos, quibus invocationes deorum inveniuntur, continet.

	Nomina poet. Roman. I	Invocantur: Musae (Camenae) II	Invocantur: Dii deaeque ceteri III	Invocantur: Alia numina IV	Varii loci, qui, quamquam invocationem non continent, ad nostram rem quodammodo spectant. V
1	Livius Andron. (Baehr. F. P. R.)	frg 1. Odus.			
2	Naevius (ibid.)	frg. 1			
3	Ennius (ibid.)	frg. 1. 224		frg. 3	fr. 30; 155
4	Incerti carmen Priami (ibid.)	pag. 52 v. 1			
5	Pompilius epigr. (ibid. p. 274)				frg. 2
6	Porcius Licinius				frg. 1
7	Cornelius Severus (ibid. p. 355)	frg. 15			
8	Varro Reatinus (ib. p. 295)				frg. 3
9	Incerti versus (ibid. p. 357)		frg. 7 (Iuppiter)		
10	Lucilius				frg. 699, 700
11	Varro, Menippeae	frg. 467			frg. 201, 356, 379, 395
12	Lucretius	VI 92	I 1 sqq. (Venus)		
13	Catullus	68b, 1	64, 23 (heroes) 61, 11 (Hymenaeus)		65, 3
14	Tibullus	III 1, 5; IV 2, 21	II 5 (Phoebus)		I 2, 53; I 9, 47 (spernit invocationem)
15	Propertius	II 10; III 1, 19; IV 6, 11	IV 1, 67 (Roma)	III 1, 1 IV 8, 17	Mon. 1. 3 IV 4. 51
16	Vergilius	ecl. III 84; IV 1; VI 13; VII 21; VIII 62; X 72	ecl. III 60 (Iupiter et Phoebus) ,, X 1 (Arethusa) Ge. I init (Dii omnes)		Aen. XII 500 Cat. XI 60

	I	II	III	IV	V
	Vergilius	Ge. IV 315 Aen. I 8; VII 37; VII 641; IX 77; IX 525; X 163 Cat. XI 1	Ge. II 7 (Bacchus) „ III init. (Pales) „ IV init. (Apollo) Aen. VI 264 (Dii inferi)		
17	Auctor Culicis	v. 18		v. 25	
18	Horatius	Carm. I 12; I 24; I 26,9; II 1 38; III 4, 1. 21; III 30, 16; IV 3 Sat. I 5, 53 Ep. I 8, 2	carm. III 11 (Mercurius) „ IV 6 (Phoebus) carm. saec. init (Phoeb. et Diana)		carm. III 3,70
19	Ovidius	Ar. am. II 15; II 425; III 348. 467 Met. X 147 XV 622 Fast. II 269. 359 IV 83. 193 V init. VI 798	A. am. I 1 (Amor) II 1; III 1; III 15; (idem) – I 30; II 15 (Venus) II 493 (Apollo) III 347 (Phoebus et Bacchus) Rem. 11 (Cupido) „ 75. 704 (Phoeb.) Met. I init. (Dii omnes) Fast. I 93 (Ianus) „ III 1. 171 (Mars) „ III 714 (Bacch.) „ IV 1 (Venus) „ IV 191 (Magna mater) „ V 183 (Flora) „ V 446. 693 (Mercurius) „ VI init. (Iuno) „ VI 249 (Vesta) „ VI 483 (Bacch.) „ VI 652 (Minerva)	Fast I 4 „ IV 247	Hero. IV 13 Ar. am. I 525 II 38. 704 III 43. 251. 549. 789 Rem. 387. 609 Fast. II 542. 584 IV 937 VI 213. 226
20	Priapea				II 4
21	Nux elegia				
22	Manilius	III init.	I 112 (Fortuna)	I 10	II 57; III 39
23	Grattius Faliscus		Cyn. init. (Diana) ib. 99 (eadem)		
24	Germanicus (Phaenom.)			v. 1 sqq.	
25	Phaedrus				III prol. 23
26	Lucanus			Phars. init	
27	Persius				Sat. epil. in.

	I	II	III	IV	V
28	Calpurnius ecl.		ecl. I 31 (Faunus)	ecl. IV 82	
29	Carmina Einsidlensia	1 36	I 22 (Iuppiter et Phoebus)		
30	Silius Italicus	Pun. I 3 V 420 XII 390 XIV 1			XI init XIV 467
31	Valerius Flaccus	Arg. III 15 V 217 VI 515	Arg. I 5 (Phoeb.)		
32	Statius	Silv. I 2, 49 IV 7 in. V 5, 4 Theb. I 41 Ach. I 2	Sil. I 2, 2 (Paean) „ I 5, 15 (Diana et Nymphae) „ I 6, 7 Iocus et Saturnus) Ach. I 9 (Phoebus)	Sil. V 3, in. „ I 4, 22	
33	Iuvenalis	Sat. IV 34			Sat. I 79
34	Sulpicia	Sat. 1. 12. 59			
35	Ponticon praefatio		v. 16 (Venus).		
36	Nemesianus		Cyn. 97 (Diana) ecl. II 20 (Dryades) „ II 53 (Phoebus)		Cyn. 13. 77 ecl. I 35
37	Precatio Terrae (Baehr. P. L. M. I pag 137)		v. 20 (Terra)		
38	Precatio Herbarum (ibidem)		v. 7 (Maiestas Herbarum)		
39	Anthologia Lat. (Baehr. P.L M.V)	nr. 151; 183, 35; „ 201; „ 222; „ 420. 17	N. 198 (Minerva)		N. 39; 137; 183; 276
40	Serenus Sammonicus		lib.med. in.(Phoeb.)		
41	Anthologiae Riesianae	nr. 672, 28			

Index.

VITA.

Natus sum, Fridericus Adolphus Knickenberg, a. d. VIII. Id. Febr. anni h. s. LXIII, Dusseldorfii e patre Friderico, matre Guilelma e gente Lemcke, quos adhuc superstites pie veneror. Fidei addictus sum catholicae. Octo annos natus una cum parentibus Sigmaringiam, in Suevorum oppidum Zolleranum, commigravi, quae adhuc sedes parentum est. Ibique in gymnasium regium receptus anno h. s. LXXXIV maturitatis testimonio munitus, ut classicis quae vocantur studiis operam darem, Monasterium Guestfalorum me contuli, ubi imprimis me vv. cl. cl. I. M. Stahlius, Langenius, Milchhoefer, Iacobi docuerunt. Unius anni spatio transacto Monacensem academiam adii, ubi hisce prae omnibus litterarum artiumque magistris usus sum: Henrico de Brunn, qui consuetudine sua et multis beneficiis me exornavit, Christio, Schoellio, Carrière, Iulio.

Anni denique LXXXVI semestri ineunte aestivo Marpurgum profectus sum, ubi philologiae studia persequi et ad finem perducere animus ferebat. Hac in nostra alma Philippina academia scholis per tres fere annos interfui, cum aliorum tum doctissimorum virorum ac praeclarissimorum Leopoldi Schmidtii, Theodori Birtii, quorum uterque consilio et humanitate optime de me meritus est, Wissowae philologis, Niesei, Varrentrappii, Lenzii historicis, Theobaldi Fischeri geographicis, Bergmanni, Coheni philosophicis. — Seminariis Monasterii et Monaci et philologo et archaeologico interfui, Marpurgi vero philologo, historico, geographico, philosophico vv. cl. cl. Leopoldo Schmidtio, Birtio, Nieseo, Fischero, Bergmanno rectoribus.

Quibus viris omnibus ob merita in me collocata gratias nunc habeo maximas semperque habebo.